

D E 3
MVNDI CREATIONE

Ac
FABRICA

Liber.

Prolegomenon Fabricæ mundi

Caput primum.

Intentio totius Cosmographiæ.

AXIOMA est omni menti opificium huius mundanæ machinæ aliquomodo inspicienti, Deum ipsius autorem immensæ potentia, sapientiæ & bonitatis esse, ac de potentia quidem dubitare est impossibile, ei qui ex nihilo conditum, non æternam eius materiam crediderit. De sapientia vero & bonitate si cui nondum plene apparet, necdum considerato ornatu & laudatissima, exquisitissima, sapientissimaque dispositione fabricæ, is nobiscum eam perscrutetur, donec ipsamet operis vndeque (quatenus ex ipso Dei verbo, & manifesta rerum experientia licet) perspecti contemplatio persua deat. Id enim molimur, dum Cosmographiam tradimus, ut ex mirabili omnium rerum in vnum Dei finem concordia, & ex inperscrutabili in compositione providentia, infinita Dei sapientia, & inexhausta eius bonitas conspiciantur, quo ad venerandæ eius maiestatem, colendam amplexandamque; eius diuitem bonitatem, perpetuo feramur. Assulgeat lux eius intellectu nostro, & mentem ad veram hanc sapientiam dirigat. Itaque immensa illa Dei bonitas suam intra se gloriam, præ nimia exuberantis fecunditatis parturitione, continere non poteris, hominem voluit creare, cui suam gloriam communicaret, quem cum sua sapientia corpore amicum, qualem videmus & prima eius creatio exhibet, conciperet, mundum hunc quem contemplandum suscepimus, & partes eius ad hominis sic constituti, vsum necessarias, in eum quem videbimus ordinem, naturam & proportionem, iuxta ideam eius ab æterno conceptam, per omnipotentiam suam condidit atque digessit. Primus igitur finis operum Dei, primaque intentio est, communicare gloriam suam, proxima hominis creatio, tertia reliqui mundi dispositio, postremus hic intentionis scopus initium fuit operis, à cuius primo exordio mundi descriptionem auspicari oportet eum, qui vtiliter ipsam ad philosophiam extendere vult.

Solent curiosi homines interrogare, quid fecerit Deus antequam mundum conderet, quomodo & ubi tum erat, cum nullus esset locus ac tempus, cur non multis seculis prius orbem condiderit, cur hominem non ita perfecit ut labi nequiret. Huiusmodi temerarijs parumque argutis questionibus facile respondebit, qui æternæ Triadis cognitionem (quanta ex sacris literis & opificio ipsius acquiri potest) habuerit, ac temporis & loci veras definitiones collegerit. Veruntamen non est digna talium hominum insulsa & irreligiosa proteruita, cui respondeatur, religio enim est de occultis Dei iudicijs & consilijs, quæ ad abditam eius & inscrutabilem sapientiam & maiestatem pertinent inuestigare latius, quàm nobis verbo suo dignatus est reuelare, & de ijs quæ extra & ante mundum, quæque supra hominum sunt captum disputare, summa temeritas est & stultitia, cum enim opiniones tantum, non scientias gignant, non possunt sapientiam adferre, sed citius exoticas doctrinas, quæ veritatem rerum labefactant, inducere. Quamobrem satis sit nobis, à rebus aut sensu, aut certa historia notis, rerum verarum scientiam petere, non opinabilium, quorum non est scientia, sic enim non aberrabimus, si modo iusto ordine progrediamur.

Prolegomenon Fabricæ mundi

Caput secundum.

De Deo omnium principio & effectuore secundum Platonicos.

Placherime Platonici ex communione specierum, quæ in rebus perspicitur, & ordine earum ad vnum ipsum primum omnium principium ascenderunt, hoc est (ut Pauli filium sequamur) e ordinatissima rerum omnium dispositione & harmonia providentiam aliquam circa res ipsas existere utrumque perspicientes, dum eas alicuius opera esse intelligerent, ac proinde ad creationem earundem meditantem atque asserendam pertraherentur, eo perueniunt. Verum cum ab vno illo ad opera ipsa descendere vellent, in modo & ordine creationis hallucinati sunt. Primum quod ponant, intellectum siue mentem mundi fabricatorem, extra ipsum vnum, & plane ab hoc distinctum atque aliud. Deinde quod materiam, cum ipsam simpliciter ab omni forma separent, intelligant nullius Ideæ progeni esse

a 2

Ideæ

CREATIONIS MVNDI

Idea enim species sunt siue formae, quae non nisi formas generare possunt, ac proinde increatam quoque ipsam & aeternam necessario intelligant. Hic error inde natus est, quod materiam susceptibilem tantum formarum crediderunt, ac nullam cum formis naturae communionem habere, ideoque in ipsa formarum semina esse, & ex potentia eius per opificem posse educi, ne per somnium quidem semel cogitarunt, unde & perpetuum aliquod formale principium extra materiam constituere coacti sunt. Idem & extra Vnum, diuersumque ab illo constituere hac ratione inducti sunt, quod cum Vnum illud & primum omnium principium, nimis ad vnum ab omni entis natura & conditione refecarent ac spoliarent, perperam metuentes ne compositum quid illud faciant, aliud extra Vnum quasiuerunt rerum principium, ab vno quidem genitum, sed distinctum tamen essentia, & naturae proprietate a quo solo tanquam patre primum & immediate rerum formatrix virtus, & exemplar opificij mundani esset ac dependeret, cuius doctrinae vestigia insequutus Valentinus alia insuper deliramenta addidit, etiam modum commentus quo Vnum, quod Proarchen & Bythum vocat ad generationem Mentis processerit, & per intermedias deinceps generationes, aliquot tandem ad materiae & rerum omnium creationem deducens, nec non prodigiosam Pythagorae philosophiam intermiscens, quem sequuti discipuli nihilo fanius docuerunt, ubique plus quam Anilibus fabulis veritatem conspurcantes & obscurantes. Sed cum horum infania sua fatuitate exhibetur, ad Platoniorum potius theologiam & mundi originem respiciendum est, quae, quod praeter omnium gentilium philosophia diuina sit, & maxime ad veritatem Mosai- cae traditionis accedere videatur, facilius abducere a recta & sacra philosophia potest. Quapropter eius summam breuissime proponentes, veram rei ex adytis scripturae & naturae narrationem opponemus, hanc rationibus consequenter confirmaturi, illam vero ubi erronea est, reprobaturi, ne sub specie sacra- toris theologiae, per inanem philosophiam ad latentem falsitatem fascinentur oculi intellectus nostri, & a veritate rerum abducamur, simul quoque vt innotescat omnibus nullam fuisse vnquam tam san- ctam apud ethnicos sciam, nullum tam ardens studium, nulla adeo praecleara ingenia, quae ipsam veri- tatem rerum sua industria assequi potuerint, postquam qui religiosissimi omnium fuerunt Platonici, & ipsi longe aberrarunt, & ceteris longissime aberrandi materiam dederunt, ac proinde gratias aga- mus vni soli Deo, qui & principium, & creator, & animator, & conseruator, & finis opificij mundani est, quod mundi veram fabricam, principium & fontem vniuersae philosophiae ac veritatis, nobis digna- tus sit per Moysen & Prophetas alios reuelare.

Vnum
siue Bonum.

Itaque Platoniorum theologiae hac summa est, Vnum, Mentem, & Animam, quae in fabulis nomi- nantur Caelum, Saturnus, Iuppiter, tria in diuinis ponunt principia, ordine se inuicem consequentia. Primum omnium, quod ipsis est Deus primus & summus, Vnum vocant, propter simplicissimam sim- plicitatem, & Bonum, propter exuberantissimam fecunditatem ad generationem, & sui communicatio- nem proclinem. Hoc scribunt nec ens esse, nec essentiam, nec intellectum, nec bonum adiectiue, nec in- telligere ne seipsum quidem, nec viuere, nec moueri, sed super omnia haec esse, hoc est fontem & prin- cipium esse entis & essentiae, intellectus & intelligentiae, vitae ac motus, & omnium quae praeter ipsum primum omnium & supremum principium cogitari possunt. Rursum nihil in se habere, & diuersum esse ab omnibus, in seipso consistere nec misceri sequentibus, adesse tamen omnibus, & omnia ab illo contineri, similiter ubique esse, & tamen nusquam, hoc est nullius loci indigum esse, nec etiam intrinse- cus neque extrinsecus, finitum siue determinatum esse, esse autem omnium potestatem, & quidem om- nium potentiarum potestatem maximam, non tamen omnia esse, sed super omnia.

Mens.

Hoc Vnum siue Bonum sua exuberantia parturiens, non cogitatione ad hoc annuente, neque confi- lio aliquo, neque voluntate decernente, neque villo pacto motum, sed manens in habitu proprio, ex ipsa sibi insita perfectione, comitante intrinsecus actu potenciali, siue efficaci potestate, radium creat & effundit eo fere modo, quo sol idem & immotus manens lumen circumfundit, qui radius quatenus ex illo manente statim hoc existit, ens efficitur, quatenus vero naturaliter ad suum parentem conuer- titur & quasi mouetur fit viuens, unde corroboratus & potestate impletus ac perfectus ex eadem per semet- ditescit intelligentia, & fit Mens, & Intellectus, tum patrem suum ipsum respiciendo, tum se in se con- uersus, intelligens. Quia porro dum sese inspicit potestatis suae conscius, quantum illa valeat, in qua ni- mirum vigeat virtus essentiarum omnium genitrix, ipse sibi essentiam suam haecenus indefinitam at- que indeterminatam definit, ac veluti explicat, non aciem intendendo, aut cogitatu discurrendo, quasi qui quærat quod nondum habet, aut scire studeat quod ipsum latet, sed vnico vigilique perpetuo sue in- telligentiae actu, actu inquam suae essentiae intimo, potestatem suam semper in spiciendo, & quae sine adhibita intelligentia latuissent determinatè cognoscendo, sic inquam Ideas siue species omnium rerum formatrices, quas intelligibiles vocant Deos, intelligendo concipit, ac quodammodo gignit, distinctas quidem formali ratione, sed essentia adhuc easdem, & veluti multa vnum existentes, non inquam vnum & multa, sed vnum multa, vt vult Parmenides, propter minus numerosam vnitatem in mente, quam quae est in anima, atque vt intellectus est plenus potestate vna ab vno accepta, ita pariter plenus Idea- rum siue formarum omnium, vnum cum illis idemque manet, omnia in hoc entia existens, eaque vera, quia immutabilia & aeterna, quae protinus vt à se & in se genita sunt, tanquam Saturnus quidam absor- bet nec finit apud Rheam enutriti, hoc est non finit in materiam & naturam rerum caducarum labi, sed in se omnia indissolubiliter, & impartibiliter complectitur & seruat, & in vno quodam omnia possidet, omnibus etiam & ubique praesens, non tamen in illis, sed illa, in ipso sunt, vt ab eo dependentia & in eo consistentia. Et cum sit Intellectus vnum multa, hoc est vnum quidem existens in se toto, & in essentiae identitate, siue vnitatem impartibile, at secundum partes semper simul & intro manentes, alteritate tan- tum

tum q
nens v
ternar
sentia
voca
fiet v
antur.
ris bor
nitore
Ideam
dar. V
Hui
enim i
produ
uersio
Anim
& inde
cundu
tum fo
quia di
enum
das in
tis, mo
portio
ma, cu
hoc m
& forn
quoda
cuiusq
substa
specifi
chra, v
modi
ad diu
propi
necess
Hac
rum n
poten
autem
rum d
oque
ter Ar
hanc

V
autem
vt hor
essent
expre
splen
volun
tio, v
ter in
Per S
Sap. i
sed se
dens.

PROLEGOMENA.

tum quadam in seipso distinctus, non est circa sequentia entia partibilis, sed perpetuo secum manens veluti & Vnum in sequentia non distribuitur. Non enim secundum alteritatem illam suam internam in multa distinctim effunditur, sed vnum tantum secundum rationes seminales, iam actu & essentialiter simul multa existens, procreat, Animam videlicet, de qua mox dicemus. Hunc Intellectum vocant. Magnum Deum, & secundum Deum, quinetiam non aliquem, sed omnem Deum, à quo videlicet ut primo & omni ente solo, immediate omnia entia, ac proinde omnes Dei essentiam suam sortiantur. Vocant & verbum Dei, & actum productum ipsius Boni & item imaginem Dei, quod genitoris bonitatem pregnantem ubertate & gignendi propensione pro viribus imiteretur, quas vires cum à genitore accipiat, usque adeo illi cohaeret, ut alteritate quadam solum videatur ab eo discretus. Et Plato Ideam quoque vocat, quod exemplar vnamque indiuisam omnium speciem in sua essentia comprehendat. Vocat & causam & mundi artificem, quod primum ens factus, omnium deinceps entium parens sit.

Huius Mentis progenies est Anima mundi, tertius Deus, non aliter inde egressus quam illa ex Vno, est enim ipsa Mentis verbum, est lumen Mente mundi fabricatore effusum, est actus & quidem tota extra productus & vita viuificans inferiora, quemadmodum intellectus hanc viuificat, ipse ad Vnum conuersione viuificatus; & quemadmodum Ens ad genitorem suum respiciens, Intellectus euadit, ita & Anima Mentem intuens, Ratio fit ipsius Intellectus, lumen atque vestigium, semper inde dependens, & inde quidem illi coniuncta, inde vero inferiora, comprehendens, vnum & multa simul existens secundum Parmenidem: Vnum quidem, quia sub vna communis essentia intellectuali rationes omnium formarum suscipit, atque impletur, dum in patrem Intellectum respicit: & simul quoque multa, quia dum in se conuertitur, rationes seminales omnium formarum singularim concipit, & ordine enumerat, ac præ nimia fecunditate parturiendo, intus incalescens ipsas animat, ipsæque ad generandas in Materia formas, videlicet ad creandum sensum in animalibus, naturam vegetatricem in plantis, motum in celestibus corporibus, & quicquid præterea est, quod ad ordinem, speciem, naturam, proportionem, & motum rerum pertinet, motus initium præstat. Itaque sic in sua essentia constituta anima, cum ut Vnum & Intellectus, ipsa quoque ubique sit, & in omnibus adsit, non potest non singula in hoc mundo visibili ordinare, disponere, vegetare, animare, & vnumquodque ad proprium suum esse & formam, veluti incubando perducere; verum non ut Mens in se manet impartibilis, sed egreditur quodammodo ad singula corpora, illisque alio quolibet loco aliter insinuat, videlicet secundum cuiusque Speciei rationem, non quidem in partes à se mutuo diuisas distributa. Tota enim & secundum substantiam essentiamque pariter omnem indiuisa, ubique & in singula simul est, sed per seminales & specificas rationes, quæ multæ & variæ sunt, alibi aliter suas vires exercendo operatur, & sui simulachra, videlicet species in rebus facit. Quare tametsi in sua essentia, vna & simul multa sit, & per huiusmodi seminalium & specificarum rationum diuersum influxum fiat diuisibilis, non tamen propria ad diuisionem necessitate hoc fit, ut quæ tota secum perpetuo manet, sed quia corpora diuisibilitate propria indiuisibiliter eam accipere nequeunt, ut partitio hæc corporum non Animæ passio sit, ac necessitas.

Hæc tria in diuinis principia, hoc quo narraui modo Platonici describunt, ac primum quidem eorum non concedunt, aut actum esse alicuius (ut neque debet) aut aliquam actionem habere, esse tamen potentiale, id est actus proferendi potestatem, retenta Vnius simplicitate concedunt. Intellectum autem actum esse ab vno emanantem. Animam quoque actum ipsius intellectus, & vtrumlibet horum differentem ab illo à quo effluxit. Maius item ac melius esse quod gignit, illo quod à se gignitur, id est Intellectum minorem ac deteriorem Vno esse, meliorem autem ac Maiorem Anima, & similiter Animam speciebus à se productis. Hæc fere sententia est vniuersæ Platonice theologiæ, cui hanc sequentem verioreni opponimus.

Prolegomenon Fabricæ mundi Caput tertium.

Vera de Deo eiusque Trinitate, ex scripturæ adytis confessio.

Vnum nobis Deum, sub tribus hypostasibus distinctis, ac non à se mutuo diuisis & separatis, proponit verbum Dei, quarum quilibet suas habet proprietates, quibus à reliquis distinguitur. Sunt autem Pater, Logos siue Filius, & Spiritus sanctus, ideo vnum existentes, non quia vnius sunt essentia, ut homo homini, sed quia vna numero sunt essentia, quippe cum à se mutuo sint inseparabiles, totaque essentia Patris latens, velut æterna generatione in Logon eradiet, ita ut Logos sit lucidus character & expressa Patris essentia, eademque essentia à Patre per Logon in vniuersum mundum splendeat, qui splendor Spiritus sanctus existit, vna est omnium trium deitas, omnipotentia, virtus, sapientia, bonitas voluntas, nec modo tria vilo modo dici possunt, quum vna numero sit omnium vis & potestas, & actio, ut Logos ipse nos docet Iohan. 17. sic Patrem alloquens: Mea omnia tua sunt, & tua mea. Item Pater in me manens ipse facit opera. Iohan. 14. & Ioh. 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Per Spiritum sanctum quoque Patrem & Logon omnia operari passim in scripturis sanctis patet. Et Sap. 1. dicitur Spiritus sanctus orbem terrarum repleuisse, ita ut omnium trium sit vna communis operatio, sed secundum personalem proprietatem, aliter à Patre, aliter à Filio, aliter à Spiritu sancto procedens. Itaque non tres Deos, neque tria rerum principia ponimus, quemadmodum Plato, sed vnum indi-

uifum, fecundum fe totum vbiq; præfens, ex quo per quod, & inquod creata funt omnia, exiftens quidem fub triplici ratione, fed in identitate effentia, diftinctum quidem in tres fubfiftentias fiue perfonas, fed neque effentia differentes, & à fe mutuo diuifas, neque confequenter ordine minores aut deteriores, vt Platonici volunt, fed per omnia æquales diuinitate, æternitate, potentia & efficacia, quarum fingularū effentia proprietates, non magis nec minus vnus, quam alterius, fed æquæ omnium ad cuius rei creationem neceffaria eft. In omni enim opere faciendo, tria hæc operanti requiruntur, potentia fiue principium actus interni, actus internus fiue operis conceptio & difpofitio, & actus egrediens. Quemadmodum in igne principium caloris eft natura fiue forma ignis, actus illius eft calor internus. Actio fiue egrediens actus eft calor inde emanens. Et in anima eft principium & potentia motiua, eft difpofitio fiue voluntas ad mouendum, eft denique motus ipfe.

Quoniam vero neque fortuito neque per ignorantiam modum tentando & inquirendo, neque infipienter Deus hunc mundum condidit, fed fuma prudentia & fapientia, negari non poteft ipfum ab æterno exemplar quoddam determinatum futuri mundi, & ideas operum fingulas concepiffe, verum non in Logo eas inchoamus, vt Plato, fed in Logi parente, cum omnia quæ habet filius à Patre habeat, quamobrem in Patre velut fepinariam rationem mundi ponimus, in filio vegetantem vim, in Spiritu fancto vim producitricem & anima tricem, quæ cum illo ex Patre procedens, & per Filium effufa in opus progreditur. Igitur Spiritus in Deo exuberans omnipotentem inexhaustamque venam Patris exultat, & immenfam fecunditatem Filij, veluti ad germinandum prouocat, atque per eius Spiritus viuificam fpirationem Pater mundum fepinali ratione & modo concipit, conceptum Logo tradit vt pote qui Patrem ad amiffim exprimit, ex filio iam actu producit mundus, non producit autem nifi mediante Spiritu tanquam vehiculo, per quod mundus in partes fuas diffunditur, & in fingulis iuxta propriam cuiusque ideam animatur, comitatur item Spiritus opificium per omnia femper, vt quod ipfius imprægnante actiuitate conceptū & viuifica motionem formatum, eadem etiam conseruari debet, non autem fic comitatur fingula vt in partes diuidatur, fed eo modo indiuiduiter, quò recte Platonici animam mundi fingulis adesse pronunciant. Neque etiam pars eorum fit, vt propria eiusque anima aut forma euadat, fed totus fecum & per omnia manens, præfens, & ab omnibus diuerfus ac feparatus, omnia femel ex potentia Patris per Actum Filij in fuam quæque effentiam & fpeciem format ex materia effentia gradatim perficiendo, iuxta exemplaris rationem, & omnia deinceps iuxta legem à Patre conceptam ftruat.

FABRICÆ MVNDI

Caput primum.

De fapientia Creatoris.

COSMO graphiam tandem beneuole Lector aggreffurus, vt tam diuinam & grauem fpeculationem decet, omnes animi vires impendere neceffarium fuit, vt rerum creaturarum omnium fpecies & ordinem ob oculos ponerem, quo ad contemplationem vniuerfi & fapientiam fabricæ mundi lectorem adducerem. Scriptum eft enim pfalmo 103. & 24. Omnia in fapientia fecifti. Eft autem fapientia, caufas & fines rerum cognoscere, quæ nufquam melius quam ex mundi fabrica ordinatiffima, & fecundum caufas ordine annotatas à fapientiffimo architecto deducta, cognofci poteft. Vt enim creando naturam fingulis indidit, ita etiam mox iniunctum officium præftiterunt, & ad confummationem rerum vfque præftabunt. Quapropter nihil fatius eft, quam eius opificium, prout ab ipfo autore factum eft, & dictante Spiritu fancto à Mofe fideli in toto eius domo fcriptum eft, perueftigare & rimari omnibus ingenij viribus. Neque enim hic facile errabimus in caufis rerum assignandis, cum naturæ leges primas & præcipuas vulgo notas contemplabimur, & fimiles inde effectus deducemus. Sic nihil certius eft, quam graua omnia deorfum ferri, leuia fufum, nullum motum in rectum infinitum esse. Ex crasso quod subtilius eft, euaporare, vnde in centrum colligi graua, mundum fphæricum esse, & omnium partium eius ordinem, & fubtilitatis ac nobilitatis differentiam colligimus. Ex ordine rerum & caufis finibusque demonftratis, Philofophorum veterum errores circa principia rerum & circa naturas facile deprehendemus & conuincemus, vt veritas inconcuffa ftabiliatur in hominum animis, & non amplius fluctuent opinionum veritate, & ambiguïs rationibus quoquo modo perfuafilibus feducantur. Sic mira panduntur in celestium corporum fitu & natura, quæ hætenus non fatis inquifita nec explorata fuerunt. Sic multa in elementis hætenus defiderantur, quæ diligenti ftudio & arte à doctis viris indagari poffent, adhibita ad mundi fabricam doctorem virorum per diuerfa regna fparforum, obferuatione & obferuandorum lege. Sic de incremento, decremento, & fluxu maris admirando, & caufis eorum aliquid tandem certi indagaretur. Sic de nauigandi arte, in qua adhuc quædam non exigua defiderantur, latius inquireretur. Sic tandem vniuerfa geographia, magno Principum & totius orbis cominodo abfolueretur, quæ vfque adeo eft neceffaria, vt neque mercatores ad nobiliffimas ditiffimasque regiones accessum habeant, vt cum gentibus vndiq; contractent, & Christianis omnes terras familiares faciant, neque Principes de fuis ditionibus aliquid certi & folidi ftatuere poffint, nifi operose & parū fidelibus fubinde miniftris, quia defunt tabulæ, oculati totius ditionis & fituum testes. Ego ante annos aliquot huius operis initium feci à regionibus in nofta hac parte defideratiffimis, quibus nunc Septentrionali-
um ac

um ac Sarmaticarum tabularum primum nostræ Geographiæ tomum præpono, eo proposito, ut totum tandem orbem per tomos describendo absolvam, quod (Domino vitam & sanitatem tribuente) pro viribus conabor.

FABRICÆ MVNDI

Caput secundum.

De principio creationis & de creata materia.

Primus Dies incipit.

PAULO ante Mosis ætatem natus fuit Saturnus, & ante illum alij gentium Dij, qui cum rerum naturalium studiosi, variorum dogmatum essent inuectores, multas proculdubio hæreses induxerunt, quæ postea inter philosophos de principiis rerum disputantes, plurimum inter se differentes sectas produxerunt. Itaque veram de iisdem principiis enarrationem instituens Moses, illorum erroribus ipsam antiquissimam veritatem opponit, eosque redarguit, cum ab ipsa omnium rerum materia (de qua in primis mendacissimè ex suo cerebro loquebantur) inchoans, totamque mundi fabricam absolvens, sic cap. 2. & 4. dicit. Istæ sunt generationes cæli & terræ, &c. non illæ, quas insana hominum deliria somniant. Hucusque Mosis textum prosequemur, singula, quantum nobis dederit Dominus, expendendo. **IN PRINCIPIO** inquit, hoc est, cum nihil adhuc creaturæ esset, sed iam primum creationem inchoare statuisset diuina maiestas, determinatis consilijs & legibus, in primo inquam puncto aut momento existentie rerum, qui nihil adhuc rei est, sed initium tantum rerum, omni rei aut existentie conditione carens, in illo, inquam, momento temporis cœpit creare, & deinceps **CREAVIT DEVS**, nulla præhabita materia, ex immensa & incomprehensibilissima potentia sua, informem, rudem, & indigestam massam, ex qua omnia deinceps mundi membra & partes deduxit. In hac materiae creatione, ut in sequentibus omnibus, tria concurrere necesse fuit, potentie paternæ fecunditatem, actuosam pregnantemque Logi potentiam, & fecundificam, impregnantem viuificamque vim Spiritus sancti. Ex potentia enim Dei, tanquam seminaria ratione, per fecundificam vim Spiritus, materialis initium existentie hauriens, à potentia actiua Dei per impregnantem vim Spiritus sancti, tanquam foetus in utero formata & in esse deducta, à potentia denique viuifica & educitrice Dei exclusa, & in propatulumeducta est. Sic vnus idemque Deus omnipotens in triplicitatis suæ vigore ex nihilo, sine vlllo assumpto subiecto, materiam omnium creandorum concepit, formauit & in lucem protulit, non prius operante patre, deinde Logo, postremo Spiritu sancto, sed simul indissinctim, indefinenter conspirantibus & cooperantibus ipsis in vnitæte essentie diuinæ. Illud **IN PRINCIPIO** sic intelligendum esse ut exposuimus, testis est Esdras lib. 4. cap. 6. sic dicens: O domine loquutus es ab initio creaturæ tuæ, dicens fiat, &c. Enimvero per hoc quod dicit ab initio creaturæ satis indicat, initium siue principium illud non de filio Dei, sed de primo creationis momento dici, id conuincente cum præpositione ab, tū constructione vocum: initio: & creaturæ. Nam ut quis vocem: loquutus es, cum: creaturæ coniungat, res ipsa reclamatione, nec dum existente creatura, cui Deus loquatur. De autoritate porro quarti li. Esdræ non est quod ambigamus, cum perspicuum fiat, epitomen esse 70. libror. Esdræ, quos Picus Mirandulanus in apologia quæstionum se legisse testatur, annotatis etiam similibus plane rerum argumentis, cum ijs quæ hoc Esdræ compendio tractantur. Et veritas prophetiarum hoc libro contentarum, ac partim iam completarum, Spiritu sancto dictante primarium opus scriptum esse conuincat. Præterea cum (ut iam dixi) ex proposito contra gentes scribat, Moses, initium mundo ponens, non potest hic aliter principium intelligi, quam nos interpretati sumus, nam si in filio creasse dicat (quanquam & hoc verum est) nec aliud velit, vnde sumetur argumentum contra mundi aut materiae æternitatem, quam & ipsum principium sit æternum? omnino ergo de principio temporali loquitur Moses.

Per **CAELVM & TERRAM** hic non intelligit duo distincta, & differentia corpora quæ hodie cæli & terræ nominibus significantur, nondum enim cælum, nondum terra extitit iuxta propriam formam, sed cælum secundo die factum est, terra demum tertio die discretis aquis apparuit, & reliquæ mundi partes deinceps ordine ex massa primum creata educuntur. Intelligit ergo per cælum & terram metonymicè primam illam informem massam, ex qua cælum terræque formata sunt. Ad gentiles ipsi sermo est, quibus hoc cælum & hanc terram quæ videmus, iam olim à Deo creata esse, quemadmodum dicturus est, testatur, utiturque nominibus rebusque notissimis, quo ad principium illorum cogitationes hominum conuertat. Voluit enim Moses deliramenta philosophorum, & falsam de æternitate mundi & materiae doctrinam, hominum animis eximere, quo Deo suam gloriam restitueret, ut cap. 2. & 4. emphaticè admodum indicat. Quod porro cælum & terram metonymicè pro eorum materia sumat, postulant sequentia epitheta: **THOHV & BOHV**, quæ eidem massæ primum creatæ tribuit, quod fuerit informis, vasta, inanis, solitaria, & vacua, eaque epitheta iam non cælo & terræ, sed terræ tantum adiungit, sic lectorem à contemplatione perfectorum corporum, ad primam ipsorum materiam retrahens, neque vero iam terram ipsam in sua forma intelligit verum ipsum chaos indigestum & informe, terræ tamen vocabulo vtens, quia terræ quam cælo similis viciniorque conditione erat. Quin & terræ vocabulum tandem rejicit, dum massam hanc describere pergit, vocatque **THEHOM**, id est abyllum

abyssum. Ita sensim contemplantis mentem omni determinata rerum specie exutam, ad primam celi terræque materiam contemplandam cogit. Porro in abyssi vocabulo aliqualem huius primæ materiæ formam indicat, nimirum quod fuerit materia liquida & fluxilis, & quidem sine fundo, ut quæ per omnia sibi similis & æqualis fuit, quemadmodum aqua aquæ, lutum luto. Iob item cap. 38. v. 38. prima hæc materia A P H A R appellatur, hoc est limus, quem Deus initia rerum in solidam terram compegit, Græcis etiam vetustissimis ἰλα hoc est limus dicitur prima omnium rerum materia. Et item chaos à χῶς quod fusilis sit, quæ illius forma procul omni dubio à primis Hebræorum patribus & Mose ad illos peruenit, mundoque innotuit. Limus igitur erat & fusilis materia moles illa primum à Deo creata, non diuersarum naturarum, sed vnius simplicis indiuisæ substantiæ & formæ, habens in se virtutem seminariam terrestris formæ & aquæ & cælestis, omniumque, quæ ex ea massa formaturus erat Deus.

FABRICÆ MVNDI


Caput tertium.

Ad quid creatum sit hoc chaos, & de eius fundamento, ac forma.

TAM quid ex hoc chaos Deus intenderit facere, nunc postquam facta sunt omnia, facile intelligimus omnes, nimirum ut illud diuidat formæque in tot rerum species, quot ad mundi Oeconomiam sibi ab æterno propositam necessarias esse nouit, & singulis suam vim & legem naturalem semel indat ac stabiliat, ut immutabilis ad terminum vsque rerum omnium præconstitutum permaneat. Porro cum solius hominis causa crearet reliqua, eiusque seruitio manciparet omnia, donec decursu temporis constituti genus humanum ad cæleste domicilium transferret, ut diuinus Paulus Rom. 8. eleganter differit, tali ordine prudentissimus architectus eadem creauit & constituit, ut subordinatis obsequiis, & consentientissima harmonia omnia homini inferirent. Quæ harmonia in eo primum consistit, ut superiores causæ in inferiores principatum gerant, & effectus omnes à summis causis per medias atque imas progrediantur. Deinde & in eo, ut rerum omnium ad se mutuo iuxta causarum & effectuum consequentiam sit inclinatio & veluti amor quidam, quo inferiora respiciunt superiora, tanquam benefica, & superiora vicissim inferiora, quo aliquid iis conferant. His duabus naturæ conditionibus fit, ut quantum vis contraria & dissidentia in imis rerum speciebus reperiantur, tamen in ordine quæque suo arctissime cohæreant, & in prima causa tanquam centro concurrentes, iustum seruitium Deo creatori atque homini præstent, adeoque omnia inter se, iuxta proprium quæque officium consentiant. Sed de his postea latius. Illud in præsentia admonendus es lector, ut in rerum creatione diligenter obserues quo ordine, ex quibus, & quo modo, quibusque medijs singula effecerit Deus, sic discas quid in omni oeconomia naturæ sit prius, quid posterius, quæ operum sint causæ, quæ singulorum generationes, proinde & rerum diffinitiones, & naturas, sympathias & antipathias, differentias in fortitudine & debilitate, nobilitate & ignobilitate, longæuitate & corruptibilitate, aliæque plurima cognosces. Quicquid enim de natura rerum disputari potest, ab earum generatione, & primæ creationis ordine dependet. Qui potest capere capiat, difficilia quidem indagata sunt multa, veruntamen & multa intentiore animi speculatione consequi licet, præcipue si Spiritus sancti inuocato lumine, gloriam Deo ex suo opificio studeas excitare. Multo hic alia naturalium rerum principia, multo alium naturæ operantis ordinem obseruabis quam à gentilibus philosophis est traditum, quippe suo opte ingenio hæc mundi primordia, eo quo nobis à Mose sunt tradita modo, percipere erat impossibile. Ad rectum curriculi nostri tramitem redeamus. Creato chaos accurate cogitandum est, quid primum in eo fecerit Deus. Ante omnia fixus illi locus erat necessarius, vides enim grauissimum omnium corporum esse terram, cui hæc massa conditione vicinior longe erat quam celo. Quod si fixum non accepisset locum, facile intelligis in infinitum prolapsuram fuisse, grauitate nimirum semper motum urgente. Atqui ut rerum principium hic obiter admoneri, obserua Deum ab ultimo & crassissimo elemento, ab inertissimo & informi penè suam creationem inchoare, & paulatim ad altiora, nobiliora, diuinioraque ascendere, obserua item, à solidiore & firmiore corpore initium facere, ut quæ ad vitam & perfectionem creaturarum pertinentia paranda erant, quæ fluxa & mobilia sunt omnia, ut inquam talia omnia firmum haberent subiectum, in quo colligarentur, fierentque stabilia. Terræ ergo & chaos locum assignauit punctum vnum in medio vacui, in quo conquiesceret, nec eum nactus ulterius motum intenderet. Hoc totius naturæ longe admirandissimum est miraculum, omnem intellectum & fidem excedens nisi astrorum ambitus, & orbis terræ circum nauigatio id ita esse conuincerent, quis enim alioqui credere queat tantum pondus in medio ambentis cæli pendulum hære, & consistere posse? Et licet veritas fidem extorqueat, quis intelligat sine sustentaculo tantam tamque ponderosam molem ibi stare & conquiescere posse? quis fundamentum hic vllum, ubi nihil quod sustineat occurrit, cogitare potest? Merito igitur Iobum in amaritudine doloris sui secum disceptantem iubet Deus, si intelligentiam habeat, quod sit terræ fundamentum dicere, Iob 38. v. 4. Imperferutabilis hic est Dei sapientia & incomparabilis potentia, neque vllam huius fundamenti rationem excogitare est possibile, nisi solam Dei voluntatem, quæ absconditas in ipso rationes & causas sequitur, cuique omnia absolute obediunt. Ut voluit ita factum est, voluntas eius materiam ad omnia fabricanda & formanda idoneam exprimit, voluntas eius ex vno vnius formæ corpore, plura diuersarum formarum fingit, Voluntas eius corpora ex corporibus, formas ex formis deducen-

do, quod iners & nulla actiuitate præditum est, paulatim in vègetam vim & efficaciam, in vitam, in motum, in sensum, & in intellectum deducit, & quod maximum est, omnia quæ creat ita inter se consentientia, mutuo amore & vinculo connexa, & in idem conspirantia, sola voluntatis impressione facit, vt naturalis illis quidam fiat affectus & inclinatio ad prosequendum officium, quod ipsis ex harmonico idearum in mente diuina consensu, per voluntatem creantis impressum est. Sic chaos, & grauissimum in primis quod in illo est terra, ex impressione voluntatis Dei, punctum in vacuo designatum appetit, eoque quodam veluti desiderio sua grauitate se mouet, donec æqualiter ex omni parte id nactum conquiescat, reliqua mundi suis veluti humeris ferens & sustentans. Est igitur hæc terræ, & proinde chai natura, ac cum reliquis postea creaturis sympathia, vt se omnibus subiciat in sede sibi assignata, in centro mundi, & circum centrum proxime firma conquiescat, reliquaque omnia sustentet, & vt est imperfectissima, à superioribus benedictionem & adiumentum appetat, ad pariendum quæ illi mandata sunt. In hoc igitur puncto necessario conquiescit chaos, quoniam hoc illi Deus sedem quietis, & terminum motus grauitatis constituit, quam legem ac metam transgredi nec potest, nec optat: quandoquidem Deus dixit & facta sunt, ea natura hæc sympathia illi à domino indita est, tanquam ad omnium specierum & indiuiduorum sustentationem necessaria. Ideo Psalm. 103. dicit David. Fundauit terram super bases suas, ne moueat se in sæculum & in sæculum. Et Psal. 135. v. 6. Firmavit aut extendit terram super aquas. Quia vero hoc chaos mater est omnium, non solum inferiorum corporum, sed & celestium, omniumque quæ creata sunt, vt audiemus, non est dubitandum quin elementa omnia cælique omnes ad summum vsque, matris suæ indolem, alia plus, alia minus referant, ac pondus aliquod obtineant, quo ad medium inclinentur, sympathiamque suam, tum ad terram, tum inter se mutuo incubatione & contractu, ac veluti sensu exerceant.

Porro & hoc experientia docet, quæ pondere prævalent, ea natura velocius, propiusque ad centrum mundi, sedem inquam grauium accedere. Hinc certissima ordinis ratio in vniuerso nascitur, vt quæ leuiora sunt ac subtiliora, superiorem locum obtineant. Neque hoc solum, verum etiam chai totiusque mundi sphaerica figura inde ortum habet, quippe cum chai materia fluxilis esset, & ibi per omnia similis, æquali vndeque virtute & facilitate, ad punctum illum quietis pondere suo ferebatur, ita vt extrema eius omnia æqualiter à centro distarent, & ex omni parte centri in æquilibrio consisteret. Si enim eius extrema inæqualiter à centro distitissent, plus ponderis centro ex vna aliqua parte incubisset quam in alia, vt si in cubo a sit centrum, b. c. d. e. sint extrema. ex a autem spectes b. aut d. angulum & c. in medio latere, longior multo est linea d. a. quam linea c. a. aut e. a. multo plus itaque ponderis habet materia quæ secundum a. b. aut d. a. lineam centro incumbit, quam quæ secundum c. a. aut e. a. Vincit igitur d. a. pondus, & c. a. atque e. a. sursum protrudet cadendo donec c. d. e. simul in æquilibrio, hoc est æqualiter à centro consistent, materia existente liquida & fluxili. Necessario igitur chaos in æquilibrio sub figura sphaerica consistit. Et erat alioqui talis figura sola mundo



conueniens, postquam superiora perfectioraque corpora, terram iuuanda generationis causa perpetua circumuolutione erant ambitura. Iohannes de Sacrobusco & ceteri mathematici terræ sphaericam figuram, ex apparentibus quibusdam accidentibus comprobant, sed præclarior multo est ex ipso fonte, ex causis, inquam, vnum quodque demonstrare, hoc enim tramite solida scientia incedit. Inuentum hunc punctum ex iam demonstratis, constat centrum mundi & grauitatis, aut quietis grauium vocandum esse. Vocant autem physici ipsum infimum omnium, reliqua vero superiora, & motum ad medium dicunt deorsum fieri, à medio vero sursum, idque optimo iure, quod supremum merito dici debeat, id quod perfectissimum est, & reliquis aliquid præstantioris naturæ conferre potest, infimum vero quod longissime ab illo, & loco & conditione distat,

FABRICÆ MVNDI

Caput quartum.

De natura & forma chai suæ primæ materiæ.

Chaos hoc principio creatum omnium rerum quæ à Deo facta sunt fuisse principium materiale, luce clarius ostendit Moses, dum omnia ex eodem sex dierum opera deducit. Et prima eius propositio perspicue conuincit, nihil prius hac materia à Deo creatum esse, alioqui enim non recte principium creationis in ea constituisset. Quum igitur post hanc materiam, & ex eadem facta sint omnia, ad originem naturæ recte peruestigandam, & naturalis philosophiæ principia iuxta veritatem constituenda, summè necessarium est, qualis hæc prima fuerit materia diligentissime considerare. Multis se modis torserunt gentiles philosophi in materiæ consideratione, esse illam negare non sunt ausi, & tamen ens esse minime concesserunt, aiunt nec quantitatem nec qualitatem esse, neque has in se

b i

habere

habere, quinimo ita omni qualitate & forma spoliari, ut tanquam meram priuationem malam ad turpem esse testantur, eoque nonnulli progressi sunt impudentiae & temeritatis, ut Deum in edomanda materia, ipsaque formis subiicienda laborasse dicant. Quid quæso insultius, quid magis probrosum in Dei omnipotentiam dici potuit? annon qui formas multo materia nobiliores aliunde (ut illi volunt) efficere & inducere potuit, etiam materiam ad omne opus sibi obsequentiissimam creare valuit? Sed hæc est mentis humana caligo & cæcitas, ut sine ductu verbi Dei, nihil quod à sensibus est remotum, & diuinam habet originem recte & certo assequi queat. Quin etiam summa est insania, profundissima naturæ mysteria, primam inquam eius originem, & abyssum extremam consiliorum & operum Dei, ex suo cerebro metiri & perquirere velle. Natura docere nos potest ex materia creata esse omnia, at quis materiæ illius modum & conditiones nusquam neque verbo Dei, neque vlllo naturæ vestigio indicatas, imo manifesto Dei verbo contrarias, pro oraculis obtudere audeat? Materiam primam ita omni forma omni que entis conditione & specie priuant, ut quo modo in se ipsa subsistere possit, dici nequeat. At Moses disertis verbis eam terram, aquam & abyssum nominat, priusquam supra concreatam formam noua aliqua species illi inducta fuisset, & Ecclesiastes cap. 3. v. 20. vocat A P H A R, id est Limum. Ex quibus eam iam ab initio speciem aliquam terræ & aquæ, proinde & magnitudinem ac pondus habuisse, fit manifestum. Sed dicit aliquis, philosophos distinguendum rerum causam materiam per se, formam item per se, considerare, quo magis perspicue causas rerum à qualitatibus & formis, non à materia dependentes, & generationem productionemque specierum, quæ formæ ad materiam accessu fit, doceant. Recte id quidem, & nos qualitates ac formas actiuas esse, & specierum generatrices asserimus, non nudatam hæc materiam, sed in duobus interim illi grauissime peccant: primum in eo quod ab extremis perfectissimis que formis ad primam omnium, quæcunque cogitari potest, ascendentes omnes pariter à materia seiungunt, & tanquam accessorias aliundeque inductas habent, ita ut nudam ad extremum materiam relinquant, cum iuxta veram specierum productionem à Mose descriptam, supra, chai informitatem à Mose indicatam, non liceat ascendere, hoc enim cum primum fuerit rerum initium, & in illud postremo resoluantur omnia, iuxta Ecclesiastem cap. 3. quo vltius illud circumcidendo poterant ascendere, quum id compositum esse docere nequeant? Secundo in eo grauius adhuc peccant, quod formam omnem ita alienam à materia faciunt, ut nullam in illa seminariam vim aut radiculam habere concedant, sed primum sui initium aliunde extra materiam accepisse volunt, cui nos aduersamur, cum ex mundi genesi, & testimonijs diuinis constet, primam materiam suam formam, & qualitatem ac quantitatem habuisse, & ex eius forma reliquorum formas natas esse. Præterea absurdum plane est & à Deo alienum, aliquid informe & sine omni virtute ac qualitate creare, tum ratione instituti sui, tum ratione omnipotentiae & maiestatis suæ. Instituti, quia cum omnia hominis seruitio destinaret, quorsum iners spectabit mater, quæ nec ipsa aliquid per se potest, nec receptat qualitates & virtutes intendere, quin potius obtundere valebit. Nam si receptis qualitatibus aliquid conferre dicas contradictoria simul asseris, materiam, nec quantitatem, nec qualitatem aliquid esse, nec eam in suis visceribus propriam completi, & tamen aliqua virtute dotatam esse, quippe quæ operis aliquid præstat. Ratione omnipotentiae & maiestatis suæ minime Deo conuenit, informem omnino materiam condere. Quippe cum sit ille forma formarum omnium formatrix, mera lux, mera virtus & efficacia, mera vita, & spirans bonitas, quomodo poterit inane & mortuum aliquid parere, qui ad vitam omne suum institutum direxit. Qui hominem ad suam imaginem creare concepit, quomodo à mortuo & inerti fundamento incipiet, & ex eo hominem formabit, quo nihil Deo dissimilius, imo magis contrarium & à Deo alienum esse potest? Iniuriam ergo Deo optimo maximo facit, & illius maiestati atque omnipotentiae detrahit, qui tam excellentis & incomparabilis operis tam vile principium facit. Rectius paulo de materia prima sensisse videntur Empedocles & Anaxagoras, quos Plotinus li. de materia, ca. 7. reprehendit. Non enim Empedocles materiam ita in infinitum circumcidebat, & omni qualitate exuebat, sed cum experientia disceret omnia corpora in elementa resolui, vnde composita fuerant, nec vltiore resolutionem deprehenderet, destitit altius materiæ principium indagare, nescius prioris materiæ vnde elementa nata essent. Quod vero illi obijcit Plotinus elementorum corruptionem, locum non habet, etenim non corrumpuntur elementa, sed mixturæ tantum, quarum putrefactione & resolutione elementa repurgantur, & suæ integritati restituuntur. Anaxagoras autem proxime ad chai naturam accedens, misturam quandam aquosam primam asseruit esse materiam, in mistura quidem errans, sed forte quia iustum non suppeditabat nomen, similitudine rei proxima illam describere voluit, nimirum ab antiquissima traditione edoctus, primam rerum omnium materiam Aphar, & ἄφω fuisse. Addidit hanc ipsam materiam, non aptitudinem passiuam tantum ad omnia, ut alij volunt habere, ut nimirum aliunde inductas formas reciperet, sed ipsam actu (non expresso siue actuali, verum potenciali intellige) in se suauè essentia omnes formas omnesque species continere. In quo profecto parum admodum à veritate aberrabat, ut in progressu patebit, verum si speciem à materia formari voluit, ut dicere videtur Plotinus, in eo certe errauit, neque enim imperfectum perfectius producere potest, sed ipsum perficiente eget. Ut autem ommissis ethnicorum somnijs, veram de materia prima doctrinam consequamur, primum quid de ea sentiendum iudicem, compendio dicam, & in processu ex verbo Dei & perceptibilis naturæ cum illo consensu probabo. Sic igitur res habet.

Et

Ex quolibet quidlibet facere solus naturæ dominus, Deus omnipotens potest, de quo Matth. 3. & Luc. 3. sic testatur Iohannes Baptista. Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abraham. Et qui sine omni subiecta materia mundum hunc creare potuit, multo magis ex quolibet quidlibet etiam in momento fecerit. Rationem tamen & normam quam natura indidit, ipse in creando sequutus est, ut videbimus. Natura autem semel à Deo ordinata & constituta, non quidlibet ex quolibet efficit, sed ex materia quæ illi quod intendit natura proximior est, hoc ipsum procreat, Hæc enim illius infinita est prouidentia, Sic non ex lapide triticum gignit, sed ex succo terreo & aqueo, nec ignem ex aqua suscitatur, sed ex oleo, magisque ex sulphure. Qualitas ergo accommoda ijs quæ generantur, in materia requiritur, atque hanc videmus in vniuersum naturæ semel à Deo constituta legem, ut nihil ex nihilo gignatur, neque ex contrariè affecta, aut ad generationem inidonea materia.

Omnis operatio naturæ in contrariè affectam materiam, atque inidoneam est violenta, minus tamen in inidoneam quam in contrariè affectam. Porro quod vim patitur amoto agente, ad suum genium redit, nisi diuturniore actione victum paulatim in agentis naturam pertrahatur. Violenta est igitur omnis generatio in materiam, si illam sine omni qualitate & naturali affectu, quibus ad gignendum inclinari possit, esse dicamus. Porro ad generationem & continuationem specierum ad multiplicationem, necessarius est rerum inter se consensus & sympathia, ut s. capite dictum est, & in mundi oiconomia hoc passim manifestissime est perspicere: oportuit igitur materiam ex qua aliquid generaretur sibi propriam naturam & conditionem habere, quæ ad intentam speciem ex ipsa generandam esset idonea.

Hæc eadem natura, si ex prima creatione radicem in materia prima nullo modo habuisset, quomodo potuisset ad officium, ad quod destinauit Deus omnia (nimirum ad seruiendum in hominis usum) inclinari? quæ potuisset vnquam rerum inter se sympathia nasci? quam agnosci & obseruari à nobis usque adeo est necessarium, ut Spiritus sanctus, qui omnia creata in hunc usum sustinet, & dirigit, per Paulum Rom. 8. nobis eam uolenter & ampliter describat, cum magnitudinem incomparabilem gloriæ, quæ reuelabitur erga nos ex hoc creaturarum seruitio demonstrat, dicens Etenim sollicita creaturæ expectatio expectat ut palam fiant filij Dei, hoc est suum officium sibi à Deo iniunctum alacriter prosequitur, homines in hac vita sollicitè sustentans, cum desiderio ut salui fiant, & ad Deum creatorem suum adducantur. Quod si, inquit, hoc creaturæ seruitium in multis frustra fiat, & sit inane, tamen huic vanitati non volens se subijcere, hoc est, non perinde illi est, bonis ne an malis seruiat, sed quantum in se est præscriptum officium præstat in gloriam Dei, & salutem hominum. Veruntamen illam huic vanitati subiecit Deus, ut nimirum etiā malis, licet frustra, seruiat, non simpliciter tamen, sed sub spe, si forte palpent benignitatem & beneuolentiam Dei, ac conuertantur. Et ut inuitè malis seruiuisse illam doceat, addit eam ab hac seruitute liberandam esse, in libertatem quæ cedit in gloriam filiorum Dei, ad quam perpetuo aspirant, nimirum cum Christus dominus noster & naturæ, præcisa vltiore propagatione humani generis, fideles suos in gloriam Dei patris adducat. Vides hic manifestissime, quanta sit rerum omnium inter se & cum homine sympathia, quam ex materia plane informi omnisque qualitatibus & affectibus experte, fieri est impossibile. Atqui dices mihi ex ethnicorum philosophia, Deum creaturæ materiæ postea induxisse formam aliquam, ex qua deinceps generatio & propagatio sit facta. Et quorsum quæso secundo loco, secundaque operatione fecit, quod primo primaque creatione poterat? annon æquè principio materiam in sua natura idoneè qualificatam dare poterat, atque postea inducta, idque per vim qualitate? Rursus an potest is qui totus forma virtus, actusque perfectissimus, potentissimus, optimusque est, & ipsa boni origo ac fons, aliquid omnino informe & ab omni affectu actioneque alienissimum, procreare.

Iam præcipuum opus suum hominem voluit Deus ad suam imaginem creare, quomodo enim aliqui in dissimilitudine potuisset gloria Dei frui? Dissimilia dissimilibus non afficiuntur, sed ab ijs abhorret. Similitudo igitur ad Deum requirebatur in homine magna, prout multum gloriæ Dei particeps esse debebat. Atqui sacra litera testantur, vniuersam Dei gloriam sanctis patefactum iri, & nos illi similes fore, quia videbimus eum sicuti est. Maxima igitur hominis cum Deo similitudo erit in futura vita, cuius excellentia initia in creatione illum accepisse, ex Genesi testatissimum est, quippe à creationis suæ initio cum Deo versari, ei que in omni obedientia seruire, in hoc mundo debebat, donec in similitudine Dei sibi concreata adolesceret, & extremam perfectionem in cœlis reciperet.

Cum igitur homo ad imaginem Dei creatus sit, etiam reliquæ creaturæ, ut cum homine cui seruituræ erant iustam haberent sympathiam, aliquid similitudinis cum Deo in ipsa creatione nactæ sunt. Quin etiam & prima materia chaos ipsum, ex quo omnia, pariterque homo creata sunt, aliquam ad suum conditorem similitudinem habere debuit, absurdum enim erat, ut dixi, fontem bonorum omnium Deum, mali aliquid, & qui totus, vita & virtus viuifica est, stupidum & sine omni qualitate atque affectu corpus creare, quod mox refingendum esset, ut creandis rerum speciebus, & homini ipsi conuenire posset. Nam & cuiusque artificis opus, industriam, prudentiam, & animi ipsius studium præ se fert, quanto magis Dei intentionem & imaginem aliquam ipsius opera referunt. Qui ergo ita naturam formauit & constituit à principio, ut non nisi ex idoneè qualificata materia generationem faciat, etiam primas rerum species ex idoneo ad hoc chao, creauit & eduxit.

Concludimus ergo, chaos fuisse primam omnium rerum materiam, habentem in sua essentia omnium qualitatum & formarum semen, naturam, inquam, vnam simplicem & incompressam, in tot qualitatum & formarum species deducibilem & distribuibilem, quot nunc in vniuersa natura extant. Fuisse item creatori suo in eo simile, quod quemadmodum Deus pater principium est totius deitatis, in se occulte habens omnia quæ in Logo filio actu expressa, & per spiritum sanctum effusa, & creaturis communicata sunt, ita etiam chaos omnes rerum formas, substantias, & qualitates, latenter eundem potentiam seminariam & radicalem in suis visceribus intimaque essentia complexum fuisse, quæ inde à creatore educta, perfecta & in species distributa actu egrediente homini seruiunt. Et quemadmodum in Deo Patre idearum multitudo, non vt multa, sed sub vnitae simplici comprehensa, per creationem extra Deum in singulas deducitur species: ita chaos sub vna simplici & incompressa natura per creationem in tot substantias & species diducitur & perficitur, quot in mundi corpore & oiconomia requirebantur. Et quemadmodum substantia Dei incompressa est, non constans materia & forma, sed vna indiuisibilis, etiam cogitatione, essentia: ita & materia primæ siue chæi substantia incompressa est, non constans materia & forma aliunde introducta, aut de nouo in ipsa creata, sed est vna simplex essentia vnico actu ab vno simplici ente Deo creata, & substantia vitalis, vitaque siue forma substantialis, siue substantia essentialis, & essentia substantialis (aut quomodocunque vnitas materiae & formæ exprimi potest) existens, in hoc tamen præ cæteris differentiis maximè à Deo distans, quod corporea & crassa sit, finita actu, virtute & potentia, principium tantum renue horum existens, & diuisibilis in differentes substantias, etiam vsque ad contraria, non quidem immediate, sed per intermedios progenitura gradus. Hanc primæ materiae vnitatem haud recte per omnia diuiserunt veteres philosophi, quasi duo diuersa & incommunicantia essent rerum principia, materia & forma. In ijs quidem quæ generantur, aliquid intellectui lucis adfert talis distinctio, dum materiam ex qua aliquid fit, & formam inducendam ac nondum existentem seiunctim (vt ibi res postulat) speculamur, verum cum id in prima materia, & extra casum generationis facimus, materiam plane informem & inanem concipimus, & à veris naturalibus principiis aberramus.

Est itaque chaos in ijs quæ creata sunt & extra Deum, ens entium, forma formarum, substantia substantiarum, non actu, sed potentia, eaque non extranea, sed intranea, materiam & initium formæ præstans, omnibus tanquam mater, verum opifice Deo primum, deinde virtute specifica à Deo instituta, ea formante perficiente & ad partum præparante. Hanc de materia prima & chæo sententiam, ex creatione mundi & indubitata rerum experientia, confirmari videbimus.

FABRICÆ MVNDI

Caput quintum.

De erroneo & vero idearum intellectu.

Quia vero ex sinistro idearum & formarum intellectu ac consideratione, multa traduntur à philosophis absurda, perplexa quæstiones & disceptationes, oriuntur, & verus operationum naturæ ordo obscuratur, altius idearum & formarum conditio ac natura peruestiganda nobis erat, quoniam falso nitentes fundamento nos ipsos fallamus, & pro vera scientia meras opiniones, atque etiam inepta deliria constituamus. Cum formas aliunde in materiam deduci volunt philosophi, aliud & distinctum à materia principium illis assignant, nimirum ideam quandam æternam ex qua fluant illæ, & materiae adiungantur, ita vt ens vnumquodque non simplex sit, sed ex diuersis & separatis atque incommunicantibus, materia & forma compositum, proinde nec in essentia similitudinis aliquid, nec sympathiæ inter se quicquam ante compositionem materia & forma habuerint. Notum ac tritum satis est, bonum quemque artificem ante operis suæ fabricam ideam quandam concipere, cuius intuitu illud inchoet atque perficiat, verum multa inter operandum subinde incidunt, quæ præter conceptum exemplar addat dematue, & si plures idem specie opus aggrediantur, tot erunt differentiæ, quot artifices. Non igitur extra hominem idea est aliqua, tale exemplar in illius intellectum instillans atque formans, sed ipse pro sui intellectus perspicuitate, proque rerum cognitione, siue vera siue erronea, quam nactus est, & pro rationis suæ iudicio illud fingit, & ex accidente per experientiam aut aliunde meliore cognitione refingit. Deus item, vt per se sapientissimus, potentissimus, peritissimusque mundi architectus, non nisi optima exquisitissimaque ratione condidit omnia, quamobrem & ideam suo operi conuenientissimam concepisse necessarium est. Non enim est sapientis aliquid sine iusto ordine, modo & ratione facere, enimvero quæ sic fiunt fortuito ac temere fiunt, nec boni speciem certò promittere possunt. At vero hanc condendi operis ideam, non ex rerum præcognitione & præscitu & ratiocinatione ac meditatione tanquam exemplari aliquo collegit vt homo: ipse enim cum per se & sine omni mentis motu, alteratione, inspectione & auscultatione sit omniscius, omnipotens, omnia rerum principia, media, fines, modos, conditiones, numerum, proportionem, habitudines, & quicquid visibilium inuisibiliumque existit, in virtute essentia suæ præsentia & conspecta & ponderata habens, tam absolutus, inquam, artifex ex intimo centro & fonte essentia suæ hanc

hanc ideam increatam & in omnia relucens habet & possidet ab æterno. Estque hæc idea vnica & simplex, quemadmodum essentia Dei vnica & simplex est, sed fecunditate veluti generationis & propagationis in ramos formarum, & specierum omnium procedens, iuxta creationis in vnica hominis specie institutum & scopum. Quare cum creationem rerum intimè contemplari voles, & earum affinitatem sympathiamque rectè indagare desideras, quo ordine vnum quodque, & ex quo creetur, quoque modo species in speciem transeat, tota mentis acie & viribus est contemplandum, inde enim creaturæ singulorum & seruitutis ordo, quo ad hominem pertingunt, innotescunt.

Iam hanc ideam extra Dei substantiam & essentiam collocare nullo modo licet, est enim ipsi Deo propriissime propria, nulli alteri præter Deum communicabilis, quemadmodum essentia ipsius nulli alteri quam Deo competit, nisi cum quibusdam insanire lubeat, qui omnia ex essentia Dei genita, & veluti particulas eius esse, ideoque animas omnium ad ipsum redituras somniant. Cum igitur ab essentia Dei sit inseparabilis hæc idea, nefas est aliquod formarum & specierum primum principium, præterquam in Deo cogitare. Quod si quis ideas extra Deum ponat, non erunt hæc primæ ideas, sed secundariæ, à prima illa, quæ in Deo est, creatæ, quæ cum extra res à philosophis collocantur, & cum materia coire, resque ipsas & species compositas constituere dicuntur, quid aliud sit quam quod sufficiens omnium conditor, minister adhibetur qui omnia formet? quasi per se immediate id nequiuisset ille, aut designatus esset efficere, qui tanto erga opus suum accensus est amore, vt delectetur esse cum filiis hominum. Prouerb. 8. Et si informem, inertem, & per omnia impotentem, nulliusque qualitatis materiam per se creasse concedamus eum, qui totus virtus, & ad nobilissimos effectus pregnans omnipotentique efficacia est, cur digniores nobilioresque materia formas per alienas ministrasque ideas creasse dicemus? An non est hoc gloriam creatoris attenuare? An vero & materiam per secundas ideas conditam voles? quæ quæso eius quod nihil est, & ab omni essentia nudum, idea fingi potest? Ideas enim formas formarum effectrices esse volunt, Quod si has secundas ideas, non in primum tantum creatorem rerum, sed in perpetuam specierum propagationem factas quis asserat, quæ erit differentia propagationis à prima rei constitutione? nonne vtrobiusque species forma in materiam inducta componitur? Si igitur primum hominem creauit Deus, & idem creationis opus in singulis deinceps hominibus repetitur, quomodo septimo die & deinceps à creando cessasse dicitur Deus, Genes. 2. ver. 2. vt tanquam hæretici è cætu fidelium explosi fuerunt, qui angelos mundi creatores affirmabant, non minus hi tales erunt qui ideas extra Deum positas species rerum constituere dicunt, sunt enim & tales ideæ creaturæ non minus quam angeli. Ad hæc accedit quod antea dixi, speciem & materiam si separata & incommunicanti constituas (vt necesse est cum materiam plane informem, eamque cum forma iunctam, compositum non simplex reddere statuis) fieri non potest, vt sit vlla materiæ ad formam inclinatio aut appetitus, aut vlla sympathia, quæ ex differenti similitudine nascitur. Multæ ex ideis à Deo & rebus separatis intricatæ & merè inutilis quæstiones oriuntur, quas vtrunque solueris nunquam veritatem creationis generationisque attinges, proinde nec de naturæ origine, potentia, sympathia, certi aliquid statuere poteris.

Dicimus ergo vnam esse vniuersam ideam in Deo essentialiter residentem, quæ est omnimoda ratio omnium eorum quæ Deus condere voluit iuxta infinitam eius sapientiam, & voluntatem disposita & destinata, eamque ideam, actu externo in opificio mundi speciatim expressam, atque in eo actu expresso naturaliter per generationem species in multa indiuidua multiplicari & propagari, sine vlla extra Deum cooperante Idea, quippe in primo cuiusque speciei actu expresso impressus est character ideæ illius speciei in Deo existentis, ex qua impressione deinceps ad suæ speciei propagationem inclinatur. Illam etiam ideam, siue rationem omnium, vt pote internum actum essentia Dei esse analogum ipsi essentia dicimus, proinde & creaturas, quæ eiusdem ideæ sunt imagines, ad Dei substantiam & essentiam aliqualem analogiam habere. Vnde altissima trinitatis mysteria, veluti per transfennam de longe elucet, & aduersus omnes de Trinitate hæreses, catholica doctrina insigniter illustrari, & vtrunque disiectis tenebris perspicua magis reddi poterit, si quis inuocato Spiritu sancto, creaturæ ad creatorem analogiam pio zelo pro viribus persequatur. Quia vero rationes particulares in vniuersali illa idea, per mutæ dependentiæ nexum & perpetuam harmoniam in consonantissimam melodiam excitantur, creaturales etiam rationes in vnam symphoniam vtrunque coire est necesse, iuxta similitudinem aliquam, non autem proportionem, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Ex hac quoque creaturarum symphonia, siue in natura & officio consensu & concordia, sequitur sympathia, quæ propter creationis scopum erat necessaria. Quæ hætenus de materia & forma, de speciebus & earum ministerio ac sympathia partim dicta, partim etiam demonstrata sunt, in creationis historia manifestius elucet & probabuntur, cõ igitur redeamus.

FABRICÆ MVNDI

Caput sextum.

De tempore inchoatæ creationis.

b 3 Cum

Cum Deus creare inciperet nondum erant astra, nondum illorum motus, nondum igitur tempus erit iuxta physicorum definitionem, & tamen tenebrosus illud interuallum, quod lucem præcessit, pro parte dici computatur, & noxæ vespera vocatur vers. 5. & cum luce sequente, usque dum occidit illa, diem naturalem sequentibus æqualem constituit. Mensuratur igitur à Deo æternum illud spacium, per prius posteri usque iuxta partium magnitudinem, nec est vlla cum physicorum tempore differentia, præterquam quod mensurari non potest, nisi comparatione mensuræ ex creatione mutuo acceptæ, neque enim illa mundum præcedens æternitas, annos, menses diesque, aut simile aliquod accidens, quo mensurari posset, habuit. Quid si vero tempus physicorum mensurari non possit, an propterea desinet esse tempus? mensuratio est accidens temporis, definire illud non potest. Quicquid esse dinoscitur suam in natura habet definitionem, etiam si verbis dari non possit, ita æternitas vere esse dinoscitur, communis enim intellectus id ostendit, dum nemo est, qui quod nunquam est, esse fateatur, & quod est aliquando, esse non contendat, ac proinde quod est, id aliquamdiu, siue aliquo tempore esse non dubitet. Et communis est sententia: quod nullo tempore est, & quod nusquam est, hoc non esse. Impossibile enim est, essentiam alicuius sine circumstantia temporis & loci concipere. Proinde ad euitandum flexiloquos captiososque sermones, & inanes fantasias multas, quas ex temporis & loci definitionibus hætenus vsitatis, fallaces sophistæ intellectui tanquam densas nebulas, effundunt, præstat in ipsas temporis & loci substantias, siue malis dici, essentias, animum intendere, & rationes earum si exprimere nequeas, cum desint apta vocabula, similitudine tamen aliqua concepta speculari. Sic tempus cogitabis extensionem quandam durationis, inter prius & posterius esse, quam post mundi creationem constantes immutabilesque mensuræ, videlicet astrorum motus, exquisitissime mensurant, ante conditum vero mundum, licet tales mensuræ defuerint, non tamen desijt esse tempus, & si iam illud mensurare speculatio aliqua postulet, cogitatione mensuras huius nostri poris, quantum ad extensiones earum attinet, partibus illius æterni applicabimus. Vt si æternitatem Dei aliquomodo declarare velimus, dicemus illum mille seculis (extensione inquam tanta) ante conditum mundum fuisse, & supra hæc rursus mille, & ulterius mille, ac deinceps superius sine fine. Sic communis intellectus æternitatis partes aliquousque metitur, & quid opus est hic argutis tergiversationibus & labyrinthis, quæ æterna sunt & increata facilius aliquali intellectu concipiuntur quam definiantur, aut recte describantur. Et verbum Dei æterna & infinita secula à priori & posteriori, Deo subinde tribuit, communi intellectui quem ipse formauit se accommodans. Locum similiter cogitabimus esse spacium quoddam in quo res est, quem in species tres partiemur, in excelsentem locatum, in adæquatum, & in minorem, nihil de locati magnitudine definientem. Secundum primam homo est in domo, pro secunda corpus quodque est in aqua aut aëre, vnde quaque eius extrema comprehendente, secundum tertiam vnaquæque res, & præcipue Deus, est etiam in minimo loco, creatura quidem secundum synecdochen, Deus vero secundum totam essentiam. Si quis ita hisce determinatis æternum aliquid præter Deum constitui addubitet, is locum & tempus in ipso Deo ab eius essentia adferri considerabit, cum essentia sine tempore & loco esse nequeat. Est enim vt elegantissime dicit Iohannes Damascenus lib. 1. cap. 16. Deus sui ipsius locus. Eodem quoque modo & ratione sibi ipsi tempus esse imaginabitur. Et Tertullianus contra Praxeam sic scribit. Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia, fol. 673. b. Si aliam temporis locique substantiam quærat, in abyssum imperscrutabilem & deuias ambages deuoluetur, quia profunditas Dei omnem intellectum longissime superat.

Dicamus ergo cum Mose v. 5. creationis & primi diei naturalis initium nocte factum esse, noctemque primam diei partem esse, & à primo creationis momento tempus mundi inchoandum esse, ideoque Deum non solum hebdomadam dierum in memoriam creationis constituisse, verum etiam cuiusque diei initium ab occasu solis & vespera sumi voluisse, maleque sentire eos, qui vetustiores Hebræos diem ab ortu solis inchoasse volunt, locis aliquot scripturæ sacræ male intellectis & detortis id sibi persuadentes. Exod. 12. v. 18. solennitas paschæ 7. diebus celebranda præcipitur, & initium finisque illorum dierum, constituitur in vespera, diem autem primum & vltimum solennes constituit dominus, v. 16. adeo vt primus Iohann. 19. v. 31. vocetur magnum sabbatum, diem vero decimum quartum mensis, quo agnus mactabatur inter duas vespertas, Hebræi vocant parasceuen, id est, præparationem & à Paschate immediatè sequente distinguunt, vt patet Matth. 27. v. 62. Marc. 15. v. 42. Luc. 23. v. 54. Iohan. 19. v. 31. Duo igitur sunt dies, duæque vespere se mutuo sequentes. Prima est finis diei 14. altera post solis occasum sequens nox, quæ ad sequentem diem pertinet. Inter has duas vespertas iubet vers. 6. agnum occidi, & præparari. At qui hoc in momento vtrumque diem diuidente fieri nequiuit, ideo vespera latius sumitur pro tempore vespertino, & ad finem diei inclinante illius propinquo, aut etiam diem terminante, & continuo sequente. Sic versu 18. cum iubet infermentata, die 14. ad vespeream edi, de vespera finiente & diem completum immediatè subsequente, intelligit. Cum enim solis occasus dies distinguat, quomodo nox qua edebatur pascha, & pars diei ante occasum solis, in qua mactabatur agnus, in vnum diem referri possunt? Planius Marc. 16. patet, noctem initium diei naturalis fuisse. Cum præterisset sabbatum, inquit, mulieres emerunt aromata, quod sabbato

non licuisset, vespere ergo finito sabbato id fecerant, quandoquidem prostridie quæ erat altera sabbati, summo dici diluculo ad monumentum venisse subiungit. A vespera ergo & sole occidente, diem naturalem inchoarunt Hebræi, quia primus dies creationis à nocte cœpit.

FABRICÆ MVNDI

Caput septimum.

Opera primi diei.

Primum ergo quod creauit Deus fuit chaos illud, de quo hæcenus differuimus, & indigesta moles, materia materq; omniū creandorum, quam terram appellat, quod terræ naturæ & conditioni fuerit proxima, quippe terra primum absoluta fuit & suos fructus dedit, mox autem chaos hoc adhuc indiuiso, ipsum aquas nominat, non quod aquæ iam tum à terra segregatæ fuerint, sed indicat statim creata materia eius, in elementa distinctionem inchoatam fuisse, ideoque & antequam aquam nominet, vocat abyssum, tanquam medium quiddam inter informem massam, & primam distinctionem apparere incipientem, aut potius naturam illius massæ indicat, quod fuerit APHAR & fluida materia, ad aquæ generationem prona, quam primum à terra separare instituebat. Fuit autem massa hæc tota, quanta erat, abyssus, vniformis enim adhuc erat, nec in vllas species formata, necdum extabant animalia, plantæ, lucidum cœlum, immo nec elementa ipsa, terra, aqua atque ær, sed erat, inquit Moses, solitudo & inanitas, siue solitaria, inanis & vacua, quemadmodum terrā inhabitatam, sterilem, & nihil vsibus humanis accomodum proferentem, solitudinē appellamus. Sic erat massa hæc mersa solitudo, speciem tamen in se habens, vnde omnia quæ nunc sunt, deduci & formari possint, eaq; species sub forma APHAR, limi & abyssi præcipue indicatur & intelligitur.

Addit huic chaos defuisse, quo maxime opus erat ad constituendam naturam rerum omnium generatricem & procreatricem, nimirum lucem. Duo in creatione in primis sunt obseruanda. Primum quod ab imperfectissimis, ignobilioribusque, ad perfectissima nobilissimaque ordine procedit, vt à chaos primum ad terram, deinde ad aquam, hinc ad cœlum, & ita deinceps. Secundum, quod singulorum naturas, potentiam, actiones, ordinem, modumq; agendi, ortus, occasusque, & periodos singulorum, vniuersamque naturæ legem, talia in creatione instituit, qualia perpetuo esse voluit. Itaq; cum inferiorem mundum, terram, aquam, ærem, matrem generandorum omnium, superiorem vero patrem & masculam, vi præditum esse veller, hoc est seminariam rationem in elementis, præparatricem autem & excitatricem ad generandam potentiam in cœlis constituturæ veller, mox vt elementa educere cœpit, simul etiam materiam cœlorum extraxit, quo simul mater paterque adolefcerent, vt vtriusque in generando potentia virtusque omnis, suas leges normasq; in ipsa creatione acciperet. Itaque duos creaturarum ordines à principio distributionis chai simul instituit, & in vtroque paulatim ad perfectiora nobilioraq; progreditur, & dum in elementa massam distinguere incipit, simul est ære cœlestem materiam lucidam educit, ex qua deinceps firmamentum & astra formanda colligendaque erant, & vt cuique suam speciem sensim perficiendo tribuit, ita & singulis proprias naturæ leges indidit, elementis elementares, & cœlesti materię cœlestes. Animaduertendum est autem & æris elementum, & cœlum ipsum ex quo lucent astra, vno cœli nomine subinde in sacris literis signari, ex ratione igitur nominis à Deo instituti, eiusdem conditionis, hæc duo primum fuerunt, simulque indistinctim creata sunt, sed mox separari cœpta, cum ex nobiliori eius substantiæ parte firmamentum condnndum esset atque astra.

Obserua nunc, quæ fuerit cœlestis substantiæ materia. Aquæ elementum iam in chai conuexitate colligi & apparere incipiebat, necdum producta luce, quæ ad naturæ operationes erat necessaria, & ecce Spiritus domini ferebatur super aquas, inquit, Ventum validum è chaos excitauit, qui aquas nondum à terra separatas moueret, & in altiores vndas attolleret. Hac agitatione paulatim secerni aqua à crassiore terræ substantia cœpit, & subtilior spiritus ex aquosa chai parte excitatus in ærem euasit, subtilior quoque & nobilior aeris pars in æther, siue cœlestem substantiam. Tria hæc primò die præstitit status ille, qui haud dubiè durante vltius agitatione, densior, vehementiorque factus est, ventosi spiritus maiore excitata copia, donec sublidens terra & compactior euadens, agitationem illam paulatim compesceret, ventosaque materia vtcunque exhausta & attrita, paulatim ad quietem se componeret. Quando igitur cœlum ex aqua necdum discreta educi & formari vides, facile intelligis ipsum etiam cum terra affinitatem habere aliquam, magis autem, cum aqua, vnde ipsum Hebræi SHAMAHIM, ab ESH, id est igne, & MAIM aquis, vocant, quod ex aquis sit factum, & astra tanquam aquas ignitas circumferat, vt nominis etymon describit Eugubinus. Porro quia chaos magnitudinem & pondus habuit, & quicquid ex eo factum est matris indolem aliquo modo, vt dixi, refert, grauiora ignobilioraque in vnoquoque primum subsiderunt, leuior aut nobilior vero substantia, veluti pinguedo chai totius sursum eleuata diutissime cum superiore cohasit, vnde cœlum ex nobiliori parte cuiusque elementi creatum est, priusquam illa in suum quæque locum separatim abiissent. Hinc ex nobilitate ac virtute omnia elementa longe superat cœlum, quod ex nobilissima totius chai substantia creatum est,

& in

& in ipso cælo, quæ suprema sunt, inferioribus multo sunt nobiliora, itemque cœlestia ad elementaria, affinitatem & sympathiam perpetuam obtinent, per quam ad se mutuo inclinantur, similiter superiora cœli ad inferiora eiusdem, ut nihil sit in mundo, quod non ex indita sibi sympathia suo loco & ordine hominis causa seruiat. Ita cœli & astra propter inclinationem quam habent ad hæc inferiora, sphaerica forma constituta, & in centro vniuersi conuiescentia, circulariter & variè mouentur, quo suas virtutes his inferioribus omnibus, quantum ad generationem necessarium est, communicent. Fuit autem cœlum hoc primo die adhuc indiscriminatim vnius per omnia conditionis & naturæ, proinde & vnicum tantum principio habens motum, qui noctem & diem distingueret. Ceterum non interquiescente creatione, lucidior cœli materia sensim in sphæras diuersas, globosque stellarum & planetarum colligi cœpit, & ut quodque illorum perfici natura; propria & motu imbui cœpit, ita etiam sua cuique sympathia & operatio innata fuit. Sic soli destinata lux (siue lucens materia in dimidiam cœli partem continuo colligi cœpit, & in globum solis coire, ita ut post decem circiter creationis horas nam ad Leonis signum contrahi cœpit, ut in Chronologia probabiliter demonstratum est) lumen mundo dederit, quod post quatuordecim horas deinde motu cœli diurno occubuit. Fuitque hoc lumen, principio debilius, quippe sparsa adhuc solis materia, donec quarto die in suam magnitudinem contraheretur & compingeretur. Hæc de syderum in globos collectione lucisque in cœmento, inanis esse nequit speculatio, quandoquidem lucem esse primo die oportebat, quæ diem constitueret, cum sol quarto demum die perfectus fuerit, nec aliam lucem quam solis ad faciendum diem Deus ordinari. Simili modo expansionem cœli, collectionem aquarum in maria, terræ exsiccationem, herbarum, frugum & arborum productionem, & quæcunque soli naturæ mandauit & commisit Deus, non memento, ut mandantis sermo præ se ferre videtur, facta esse cogitabimus, sed sensim eo ordine & modo quo naturam semper uti in posterum voluit, ideoque vnumquodque opus tum inceptum esse, cum materia ad hoc idonea præparata fuerit, præsertim autem eo die quo mandatum expressum est. Sic secretio aquæ à primo die inchoata est, at tertio demum die perfecta. Si enim in memento singula creata essent, magis ad res producendas, quam ad naturas rerum & leges constituendas intendisse videretur Deus, cuius contrarium tertio die videbimus. Quum ergo cum re qualibet eius natura, & lex naturalis fieri debeat, mox ut creati aliquid cœpit, cœpit & eius virtus efficax, & modus, regulaque agendi, quibus Deo in creatione seruiebat, ita ut singula à sui initio sua velut progymnasmata in creatione habuerint, & per naturam semel institutam in ceteris disponendis creatori suo seruierint. Sic factum in chao pondere, & centro sedeque grauium posito, naturaliter omnium corporum dispositio & ordo secutus est, sic mota per ventum massa, naturaliter terræ & aquæ discretio facta est, & exhalationes sursum sublatae sunt, quæ in cœlestem conditionem ab opifice formata, cœlestem etiam operationem in generandis herbis, arboribus, animalibus exercuerunt. Ita creatio præcedit, creationem subsequitur naturalis operatio, & hæc duo deinde in reliquis Dei operibus concurrunt. Cum igitur hic sit ordo rerum ab opifice ad totius intentionis suæ scopum sapientissimè institutus, diligentissimè obseruabit veræ philosophiæ studiosus quo ordine sint creata singula, quam illorum materię naturam primum indiderit creator, quidque illi naturæ adiecerit, quo species rei formandæ prodijt, item si quid res hanc creationem circumstantes, operæ attulerint, negligendum id non est, quanto enim hæc omnia altius perscrutari datur, tanto perfectius rei creatæ natura, efficacia, communio cum alijs creaturis, & per consequens sympathia & omnis operatio innotescunt. Ut porro cuiusque rei materia cognoscibilis fiat, à prima omnium materia chao incipiendum est, quatenus enim illa iuxta suam formam & qualitates cognita fuerit, eatenus & quæ ex ea primum creantur cognita fiunt, similiter & ex his reliqua. Ceterum quæ à creatore materię adduntur, ad constituendam rei speciem & naturam, ea præcedens creata natura docere non potest, sed à posterioribus, nimirum ab apparentibus rei magnitudine, pondere, leuitate, soliditate, raritate, fluxibilitate, figura, qualitatibus, coloribus, officio, aut alijs quibusuis accidentibus ac proprietatibus, quorum tamen causa effectrices antea longo studio & experientia cognita sunt, petere oportet. Hæc obiter admoneo, quia ad inueniendas rerum causas & oiconomiam (quo philosophus animum intendere debet) hæc prima sunt fundamenta. Quod quisque potest hoc faciat, nos partes mundi, situm, proportionemque & motum localem, ceteraque quæ sunt Cosmographiæ propria sectamur, cetera diuinioribus ingenijs relinquimus contemplanda.

Cum ait Moses: Dixit Deus, non latam peculiari aliquo tempore sententiam indicat, sed perpetuam eius voluntatem, quæ res sine sermone aut expressis verbis eloquitur & efficit, ac definito tempore profert. Ita etiam in actionibus Dei cum inquit, diuisit Deus lucem à tenebris, non externam actionem intelligit, sed perpetuam Dei voluntatem, qua sola omnia præconstituito tempore inchoat & perficit. Non autem dicere vult, hoc die completam fuisse illam diuisionem, postquam quarto demum die, sol, astraque omnia perfecta fuerunt, sed intelligenti non obscure eam lucis collectionem quam dixi indicat, eamque hoc die eousque processisse, ut lux in vnam partem cœli contracta occumbere potuerit, relicta post se nocte & tenebris. Post absoluta huius diei opera addit lucem illam bonam à Deo iudicatam & attestatam fuisse, quod non de omnibus creaturis agit, sed de illis tantum, quæ præ ceteris insignem homini vtilitatem conferunt, & eximie opus intentionemque Dei illustrent & commendant. Sic in sequentibus eodem encomio extollit terræ exsiccationem, herbarum, arborum, & fructuum generationem, solis, lunæ & stellarum officia, animalia aquatilia, deinde & terræ

restrig

reſtria, quæ omnia tandem creato homine valde bona iudicauit, vt quæ illius ſeruitio, cuius cauſa creata ſunt, accommodatiſſima erant. Magna opera domini exquiſita in omnes voluntates eius. Pſal. 110. Inducta in mundum luce, completus fuit primus dies, quem dicit conſtare vespere & mane, ſiue nocte & die, naturalis appellatur à latinis. Noctem præponit, quoniã ab illa cœpit creatio, non enim prima omnium lux creari potuit, iuxta ideam omnium in opificis mente conceptam, ſed materia præquirebatur, ex qua illa formanda erat. Finis primi diei.

FABRICÆ MVNDI

Caput octauum.

DE CÆLO.

Secundus dies incipit.

AB octaſu lucis, ſequutus eſt ſecundus dies, in quo firmamentum creatum eſt. Non addit autem ex qua materia illud fieri voluerit Deus, verum hoc ex lucis creatione manifeſtum eſt. Cum enim lux ex aquis, quales diximus, ſit producta, & lux omnis à firmamento veniat, certum eſt eandem lucidam ſubſtantiam, quæ diem attulit & circularem motum naſta eſt, hoc die in firmamentum factam eſſe, vnde & firmamentum SHAMAIM ſacra lingua vocatur, quod eiſdem cum luce ſit ſubſtantia, nimirum aquæ, licet paulo ignobilior, quippe lux vt nobilior, nobiliorem etiam eiſdem ſubſtantia partē poſtulabat, quapropter & ſerius eius ſpecies & natura perfectæ fuit, videlicet quarto die. Vocat hoc firmamentum Moſes RAKIA, qua voce diſfuſio, extenſio, expanſio & diſtenſio ſignificantur. Ratio ergo nominis huius ex creationis opere ſumpta eſt, quæ hoc ordine & ſucceſſu facta fuit. Mox vt ventus in abyſſum incubuit, ſuſſum exhalauit, & diſfuſa eſt æria cæleſtisque ſubſtantia, in qua quicquid ad lucem commodum erat, in luminofam eſſentiam excoſtum mox colligi cœpit, vt diem præſtaret, ſimulque futuri firmamenti ſubſtantia, in qua lux colligebatur & permanebat, ſuſſum ex æris elemento ſublata, diſfuſa, extenſa & tanquam velum aut tentorium circum vniuerſum mundum inferiorem expanſa eſt, & motum diurnum iam à primo die habens, & lucem circumferens. Hoc firmamentum ergo propter huiusmodi ex elemento æris diſfuſionem, extensionem, & expanſionem, propriè RAKIA vocatum eſt, non autem propter ſoliditatem aut compactum ſubſtantia robur, quod RAKIA non ſignificat. Neque vero materia ex qua firmamentum hoc factum eſt, neque expanſio illa quam hic illi tribuit Moſes, & item Eſa. cap. 42. ver. 5. & 40. v. 22. Item Pſal. 104. v. 2. talẽ ſoliditatem, taleque ſubſtantia robur ſecum neceſſario fert, neque ferre ſuſpicandum eſt, niſi aliquod eius in verbo Dei argumentum eluceſcat. Sumpta à velo ventis tenſo, & tentorio firmiter expanſo, comparatio, magis naturæ ſtabilitatem atque immobilitatem declarat, & incorruptibilitatem, tale firmamentum voluit Deus in hoc opere ſignificare atque eſſe, vt perpetuum eſſet iterum caducarum adiumentum & ſuſtentaculum. Et quid, quaſo, proſuiſſet ibi ferrea rigiditas ac fortitudo, adamantinaque durities, vbi nulla eſt attritio, nihil eſt quod corrumpat? Vocauit etiam Deus hoc firmamentum cœlum ſiue SHAMAIM, vt eiſdem eſſe ſubſtantia cum luce, pariterque cum illa creatum eſſe intelligeremus. Obſeruandum hic eſt, quod Eſdras lib. 4. cap. 6. creationem mundi repetens, de hoc firmamento dicit: Et die ſecundo, inquit, creasti ſpiritum firmamenti, & imperaſti ei, &c. Docet ordo creationis, docet ponderum proportio, docet raritas ſubſtantia & experientia, quanto altius à centro mundi diſtant corpora, tanto rariora, leuiora, ſpiritualioraque exiſtere, proindeque, quæ in ſummo reſident, maxime ſpiritualia eſſe neceſſe eſt. Iam firmamentum hoc elementis multo eſt altius, quam obrem multo etiam eſt ære ſpiritualiſ, & quam maxime in extrema ſummitate ſua, vbi tot ſydera perpetuum, conſtantiſſimum & minus variũ motum habent. Tale autem fieri cœlum erat neceſſarium, poſtquam maſcula vis quæ in ſpirituali ſubſtantia ſubſiſtit, illi inferenda erat, ad imperfectam horum inferiorum generandi potentiam iuuandam. Neque totam eius ſubſtantiam talem per omnia æqualiter, hoc eſt homogeneè eſſe ſufficiebat, ſed pro rerum varietate & natura, varia etiam & turgens fecunditas requirebatur, quæ ſoras naturali inclinatione tenderet ad maturandos inferioris mundi fœtus, eiſque obſetricandum. Ea autem fecunditas in exundante ſpirituali eſſentia, eiſque fortitudine ſita eſt, quapropter eius ſpiritualis ſubſtantia, quæ cœlo cuique aut eius parti in eſt, collectio in vnum corpus ſphæricum, tanquam genitale membrum fieri debuit. Sic in cœlo ſolis, præcipuum ſpiritualis ſubſtantia robur in globum ſolis collectum eſt, addito illi in ſubſidium generationis, Mercurio & Venere. Sic Luna, ſic ſtellæ à principio creatæ lucis, iuxta ſui officiũ exigentiam, in ſuos quæque collectæ ſunt orbes, ac quarto die tandem perfectæ. Lucis etiam calor & ſplendor, ſiue potius eradiatio, ad ſpiritualis virtutis in generationis actum, productionem & intenſionem, neceſſarius erat, proinde cum lucem crearet Deus, ſpiritalem cœli ſubſtantiam lucidam effecit. Iam ſi poſſibile cuiquam eſſet, lucis in ſubſtantia naturalem cauſam & originem cognoscere, myſterium magnum ille ad inquirendas, & aliquotique inueniendas ſtellarum & planetarum naturas, quæ cauſam ſuam efficientem & materialem, haud dubie ſequuntur, haberet. Si enim totam mentis aciem intendas, videbis creationem rerum, naturalem ferè cauſarum ordinem ſequi, atque ex cauſis cauſas diducere, donec ad propoſitum effectum perueniatur. Atque hæc eſt incomprehenſibilis ſapientia Dei,

C I

quod

quod ex vno primum creato, ita naturam format & instituit iuxta ideam vniuersalem, vt non minus eam imitari, quam condere & statuere videatur, quippe Ideam vniuersam naturæ exactissime conceptam, voluntate & potentia creando etiam exactissime imitatur & exprimit, vt idem in idea & fabrica, naturalis rerum & causarum successus existat. O supra omnia admirabilem sapientissimam potentiam, & potentissimam sapientiam: Quantam oportet naturæ ad creatorem suum esse affinitatem! Dixit ille & hæc facta est, voluntas illius est huius essentia, proinde vt vult ille, ita hæc est, ac vult, idque propter idem quod vult ille, Deus voluit, & cum delectatione & studio voluit, cælum & vnumquodque in eo astrum, homini & propter hominem omni creaturæ, vario motu inferuire, hæc voluntas, hoc studium etiam cum quadam dilectione cælo impressa manet, idem vult, eodem inclinatur cælum, & cum delectatione quadam diligenter exequitur. Affectus ergo Dei erga suam creaturam, sit affectus creaturæ ad creaturam. Hæc prima & præcipua est causa & origo omnis sympathiæ, quæ vnumquodque ad suum officium exequendum excitatur, non est quod aliam cælo aut angelos motores tribuamus, quasi per se sit immobile, & virtutis suæ radios ociose & sine villo ad inferiora affectu ac sympathia quocumque contigerit, spargat, multo minus vt à diuina mente ipsum perpetuo moueri dicamus, nisi perpetua natura eius voluntate semel illi impressa. Interim tamen si hanc de sympathia philosophiam absolvere voles, inquirendum tibi erit, quam similitudinem, quam analogiam cum creaturis, & cum quibus earum ipsi cælo indiderit, per quam ad eas inclinentur, quin etiam vnde, quo ordine & quo modo ea similitudo & analogia in ipsum inducta sit. Verum ubi hoc theatrum ascenderis, exclamabis: O profunditatem diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperscrutabiles viæ eius. Quod si nihil inuenieris, hanc tamen imperscrutabilitatem didicisse magno erit lucro, quo infinitam sapientiam Dei altius admirari discas, & ipsius maiestatem promptiore animo reuereri. Hoc etiam facile consequeris, vt nihil sine causa iustaque ad vnicuique scopum ratione, à Deo conditum esse experiaris. Intelligis nunc spero, quid velit Esdras, cum ait Spiritum firmamenti creasti, & illi imperasti, nimirum quod cælestis materia quæ multum est spiritalis, percipiens verbum Dei, siue impressionem voluntatis eius, eundem cum illo affectum erga hominem induit, videlicet vt illius causa incalescens extenuaretur, spiritalis fieret, in altum super aeris elementum se attolleret, extenderet, ac ibi fixa persisteret, aquas ab aquis diuidens. Hanc ergo ex voluntate Dei eiusque impressione sympathiam nata materia cælestis, aëri adhuc mixta, & in spiritaliorem essentiam versa, à sua inclinatione sursumeducta est, & hoc est quod ait, secundo die creatum spiritum firmamenti, licet tum nondum in globos stellarum ac planetarum contractus fuerit. Reliquum etiam mandati, nempe diuisionem, ex eadem sympathia & inclinatione eodem die executam est, & in eodem persistit officio, donec Dei voluntas, ex qua eius sympathia pendet, compleatur, vt testatur illud Dauidis, Psalm. 148. Stare fecit ea (cælestia) in perpetuum, & in seculum, statutum dedit, & non præteribit.

Fuit hoc firmamentum non singulare aliquod cælum ab alijs diuisum, sed vna cælorum machina, vt inde manifestum est, quod quarto die solem, lunam & stellas in hoc firmamento posuit, omnes nimirum cælos, qui nobis apparent, comprehendens. Quoniam autem corpora hæc, quæ Deus in firmamento posuit, & secundum Dauidis testimonium certis legibus fixit, diuersos admodum motus habere comperiuntur, in plures cælos hoc firmamentum diuisum esse constat, quot autem sint illi, in astronomicis probabiliter disseremus. Diuisionis autem modus in præcedentibus apparuit, cum perpetuo superiora ex inferioribus, vt extenuata, dilataque magis & leuiora ascenderunt, vt aqua ex terra, aër ex aqua, firmamentum ex aëre, ita procul dubio in firmamenti communi substantia, paulatim facta simili extenuatione, discretionem, atque in altum subductionem, primum imo loco relicta est & subsedit sphaera lunæ, secundo sphaera solis cum Mercurio & Venere, tertio Martis, deinde Iouis, ac sic deinceps, vt postrema secretio sit aquarum supercælestium, quæ totius machine mundanæ suprema pars est & manet. Hanc esse in cælorum distributione oiconomiam, vniuersalis rerum & perpetua natura, qualis est lex grauium & leuium à Deo instituta postulat. Cum enim ex prima vnicaque materia condantur & formentur omnia, ideoque illius indolem referant, non alia ratione superiora ad se mutuo, quam inferiora inter se affecta erunt, nisi Deum dicamus, cum ad cælos formandos venisset, materiam primam refinxisse, & multo aliam illi essentiam, naturam & leges indidisse, verum hoc quid esset aliud, quam sapientiam Dei & potentiam eleuare, vt qui materiam primam non ad omnia creanda idoneam fecisset, quæ potuisset, hoc concessio, inter cælestia & elementaria esse naturarum communio? quæ sympathia? an non hoc esset turbare omnem rerum ordinem & scopum Dei in sua creatione subuertere? Cum ergo vniuersalis lex naturæ per omnia inter se communicantia, eodem modo se habeat, nulli dubium esse potest, quin ea quæ ex vno in se conformi nec dissidente prodeunt, ad vnum illud eam obtineant rationem, quam filius ad parentem, & genitum quodque ad suum genitorem, illius naturam aliquo modo referat, & ad illum tanquam suum principium inclinatur, & amoris vinculo alligetur. Eadem ergo cælestium inter se erit ratio, quæ est elementarium, quum est vna eademque in se conformi & concordi massa creata successiue sint omnia, & superiora ex sua nobilitate & perfectione, hæc inferiora tanquam suum principium amplexabuntur, eò fortius, quò magis natura communicant, & homini pro viribus seruiunt. Superiora etiam vt magis defæcata, magis distillata & excocta, nobiliore forma superaddita, nobiliora quoque erunt ad scopum Dei instrumenta, validiusque suum officium ad eundem præstabunt. Quamobrem absurdissima iudico

quæ

quæ Astrologi de Saturni & Martis malitia sibi persuadent, vt latius in Astrologicis disceptabo.

Creato & suo loco posito firmamento, factum est, inquit Moses, vespere & mane dies secundus, à vespere nimirum vt primus, incipiens, & ad lucem iterum occumbentem, finiens, eadem est ratio diei quæ prius, quam toto creationis tempore seruans, perpetuo ad creationis memoriam retinendam indicat. Vocauit autem firmamentum hoc cælum, S H A M A I M Hebraicè, si vocali dictione vocauit. Adamo sic vocauit, alioqui quod Deo, dicere esse, dixi, hoc idem est quod vocare, videlicet æterna eius voluntas, qua firmamentum ex aquis esse voluit & fecit.

FABRICÆ MVNDI

Caput nonum.

De aquis supercœlestibus & creatione Angelorum.

DE aquis supercœlestibus nusquam aperta fuit mentio, nisi Genes. 1. v. 7. Psal. 148. v. 4. & 4. Esd. 6. v. 41. Variè de illis sentiunt scriptores. Iacobus Zieglerus valde ineptè imaginatur, primam materiam à Deo infinitam creatam fuisse, ne quid vacui extra mundum relinqui putaretur, & ex ea materia mundum creando non exhausisse eius infinitudinem, sed quantum ad creandum sufficeret assumpsisse, reliquum, vt erat, reliquisse, quod vocat aquas supercœlestes, inane & tenebras, illudque per firmamentum à mundo exclusum fuisse asserit. Quæ sententia nimium est absurda, quomodo enim infinitam Dei sapientiam aliquid frustra creare admittetur? Etenim frustra plane fit, quod extra mundum inane, nulliusque formæ & vsus relinquatur. Quod si ad complendum vacuum id fieri dicat, interrogabo antea ne ab æterno ibidem vacuum fuerit, an verò etiam hoc creatum sit inextricabilis quæstionum fiet labyrinthus, nec vllus naturæ modus, ordo & lex in partium mundi ex chao deductione, apparebit, sed omnia sine ratione, sine naturali aliqua consequentia fient, nullus enim erit locus extenuandæ materiæ ac dilatandæ nobilitandæque. Alij & quidem non pauci, aquas supercœlestes putant esse nubes, quæ media regione aëris feruntur, & aëre inferiore (qui etiam cœli nomine comprehenditur) à mare & fluminibus separari. Verum his aduersatur sacrum Mosis testimonium, quod illi firmamento in quo sol, luna & stellæ sunt posita, diuisionem attribuit. Neque enim aër qui sub nubibus est & magnis mutationibus subiectus, firmamentum dici potest. Quod si à perpetuo & immutabili in suo loco situ, firmamentum appellare velint, erit & aqua firmamentum, verum alia firmitas requiritur, tale vt dixi firmamentum necessarium erat, quod substantia & virtute immutabile perpetuo subsisterent, ad sustentandum rerum secundum earum species generationem & multiplicationem, hoc autem post lucem factum fuit, quare & post aërem, nam lux sine aëre, qui circumire massam, lucemque deferre, & diem noctemque efficere debebat, esse non potuit. Quamobrem cum firmamentum hoc ex aëre sit factum, illoque posterius vno die perfectum, aliud ab hoc inferiore aëre, perfectiusque illo, proculdubio fuit, supra quod etiam David has aquas collocat. Obserua Psal. 148. eius in laudando Deo ordinem, primo in genere cœlestia ad laudandum prouocat, deinde iusto ordine & distinctim singula compellat, primum qui cœlos inhabitant angelos & spiritus beatorum, deinde partes cœlorum, solem, lunam & stellæ, hoc est firmamentum, tertio cœlos cœlorum, hoc est, cœlos qui firmamentum ambiunt, & intra se comprehendunt, siue cœlum cœli, vt est Psal. 113. postremo aquas quæ supra cœlos sunt, mouet, Vides illum ordine ab imis ad summa progredi, addita etiam singulari causa, cur maximè laudare Deum debeant, nimirum quia Deus illa stare fecit in perpetuum, & legem officiumque dedit, quod insectum non præteribunt. Post cœlestia transit ad terrestria, in quibus ventos, fulgura, grandines, nubes, aues cœli complectitur, nimirum elementaria omnia. Vides ergo duos laudantium ordines, cœlestem & elementarem. Cum igitur inter cœlestia & immutabilia collocet aquas supercœlestes, nequaquam eas esse nubes credendum est. Et Psal. 104. v. 3. contignare dicitur Deus tectum & superiora edificij sui, mundi videlicet, aquis, quæ aliæ quam hæ supercœlestes esse nequeunt.

Vnde nunc istæ aquæ sint creatæ, & in quem finem, ex Mose non liquet. Quando enim oculis percipi non possunt, nec quid exhibent, quod in idololatriæ materiam à gentibus rapi possit, amplius & abditissima vniuersæ creaturæ altissimaque sint, quæ perscrutari nequeant ab vllò homine, non admodum referebat earum originem & scopum explicare, quamobrem & illa tacet Moses, nec apertè reuelat spiritus sanctus. Non tamen frustra earum mentionem facit, sed pijs animis aliquid altius cogitandi materiam offert, & summè admirandam Dei sapientiam & potentiam inexplicabilem innuit, vbi mentis extrema acies retunditur, & harum vias abyssumque vltius prosequi nequit. Originem autem & materiam illarum hinc percipere licet, quod aquas nominat, conformes enim & con-naturales firmamento indicat, quemadmodum & David cum Psal. 148. supremum illis locum in toto vniuerso, pariter cum Mose tribuit. Enimuero cum omnia quæ hætenus post motas aquas & lucem creatam sunt facta, ordine extenuationis & perfectionis, sursum sunt lata & suo loco affixa, dubitari non potest, quin eodem continuato ordine, ad extremam, vt ita loquar, distillationem & sublimationem, in aquis istis supercœlestibus sit ventum. Sunt igitur istæ aquæ, cœlum omnium lymphidissi-

mum purissimumque, quod rectè theologi vocant empyreum, quippe cum tanta sit lux in firmamento, & ex ipsa firmamenti substantia collecta, quæ meris ignis oculis & sensui repræsentat, erit & huius ultimi purificatissimi que cœli substantia, multo nobilior fulgidiorque ignis, æquali per omnia claritate, ut in qua nulla lucis in globos contractio facta est, quod ideo factum apparet quod totius naturæ oiconomiam, conuexitate firmamenti terminare voluerit Deus, ideoque diuisionem illam aquarum firmamento commissam scribi, ut naturæ opera ibi terminari, & ultra eius summam extremitatem, nimirum primi mobilis conuexum non exire, sed intra illud in vniuersum contineri intelligamus, extra illud conuexum autem, omnia quæta & immota esse.

Ad quid vero ista aqua supercœlestis, hoc limpidissimum cœlum sit creatum, dicam quod mihi probabile est visum. Angelos creatos esse nemo est qui ambigat, quandoquidem nihil est ab æterno præter vnum Deum, reliqua omnia sunt creaturæ & initium habent. At quando creati sint hi, non facile est dicere, ante mundum creatos non esse, inde conuincitur, quoniam in principio creauit Deus cœlum & terram, hoc est informem massam cœli & terræ matrem, quod si creatio à massa illa cœpit, non potuerunt angeli primum creari. Cum tamen stellæ lucidæ in firmamento collocarentur iam tum erant, sic enim alloquitur dominus Iob cap. 38. v. 6. Quis iecit lapidem eius (terræ) angularem, quum laudarent pariter stellæ luminis, & iubilarent omnes filij Dei, filij Dei non potuerunt alij esse quam angeli, nondum enim tunc creatus erat homo, quod si angeli Deo creatori laudem cecinerunt, cum terram super lapidem angularem firmaret ille, & simul cum illis laudarent lucentes stellæ, ergo tertio die fuerunt angeli, fueruntque stellæ, licet necdum absoluta: primo enim die mane cœperunt creari, & quarto die fuerunt perfectæ, fuerunt ergo multo plus quam semiperfectæ, & intenso iam lumine fulgere incipiebant, Deumque in suo obsequio laudare atque glorificare. Quod autem locus ille in Iob v. 6. ad diem creationis tertium pertineat, facile intelliges, si duos præcedentes versus conferas. In priore enim loquitur de prima fundatione terræ, quando videlicet locum quietis illi dedit Deus, centrum vniuersi, quod verè basis terræ existit. De hac fundatione loquitur David Psal. 103. v. 5. dicens: Fundasti terram super bases suas, ne moueat se in sæculum & in sæculum. In altero loquitur de figura quæ terra pondere suo ex omni parte æqualiter centrum appetente nata est, videlicet spherica. Sexto autem versu primum adhuc de basi terræ profundissimam facit quæstionem, quo modo videlicet centrum illud, quod basis est grauium, sit fixum, cum sit in medio fluxi & mobilis aeris pendulum. Mox de superstructione loquitur, quæ in altum attolli solet, & angelis ædificiorum præcipue innititur, quis, inquit, lapidem angularem iecit, qui molem in altum ascendentem sustineat. Vides tres partes collocandæ & firmandæ terræ, eo ordine quo in creatione sibi mutuo successerunt, in quæstionem duci. Primo enim creato chaos, in centrum subsidere terra cœpit, secundo subsidendo sphericam figuram accepit, tertio ex siccata tandem terra supra aquas eminuit, atque ibi firmata est, etiam altissimis subinde montibus supra aquas pendentibus, de qua firmatione sic loquitur David Psal. 23. v. 2. Quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina firmauit eam. Hac terræ altissima fastigia, quis tanto supra aquas intervallo extulerit, atque ita fundarit, ut non corruant, & ad naturalem suum locum redeant, interrogat versus sextus, secunda parte. Cum igitur horum firmitudo & stabilitas sit facta tertio die, cum terra sicca & solida firmaque redderetur, omnino apparet angelos ante completam illam siccitatem & firmitudinem, nimirum secundo die, creatos fuisse. Et quadrat huc elegantissimè aquarum supercœlestium creatio, secundo die facta, ex quibus angelos creatos esse sit verisimillimum, nulla enim in omni creatura aptior ad hoc substantia fuit, quam limpidissimus ille & igneus aer, in quo sedem & habitaculum illis esse voluit conditor, nec aliud elementum illorum corporibus conuenientius erat, quam vnde spiritum erant hausitura. Et Paul. Hebr. i. testatur, angelos esse spiritus & flammam ignis, hoc est spiritus limpidos in modum clarissimæ flammæ, qualis ferè est cœlo empyreo substantia, ut videantur angeli quasi stellæ ex aquis supercœlestibus creatæ, sed animatæ, rationales, & in ministerium Dei suscipi deque se mouentes. Vnde vocantur angeli lucis, hoc est, angeli lucentes, ex luce creati, & in cœlesti luce habitantes, ac cum magna lucis claritate hominibus apparent, ut pastores Luc. 2. v. 9. & mulieribus Matt. 28. v. 3. & Petro Actor. 12. v. 7. Finis secundi diei.

FABRICÆ MVNDI

Caput decimum.

De congregatione aquarum elementarium, & terræ ad generandum præparatione.

TERTIVS DIES INCIPIT.

Tertio die dixit Deus: Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Non est Moysis sententia, quod tertio demum die hoc dixerit & separare cœperit, sed quod æterna eius voluntas fuerit, ut hoc die terræ & aquæ diuisio perficeretur & terra exsiccaretur, proinde & supra aquas altius emineret, aquis intra sinus illius receptis, quo venturis animalibus sedes & habitaculum, horreumque esset ad omne alimentum suppeditandum. Quæcumque in Deo sunt, æterna sunt, voluntas diuidendi quemadmodum creandi ab æterno fuit, & item hoc die complendæ diuisionis æterna fuit, & cum absoluta fuerit, factam esse ab æterno voluit & approbat in æternum. Stat sententia, cuius illum poenitere non potest, quæ redargui, quæ emendari, quæ melius concipi non potest, quoniam infinita

Infinita est eius sapientia & prudentia, quæ mutationem consilij & voluntatis nullam admittit. Quoniam ergo hoc die completa est diuisio; Dixit: inquit Moses, Deus, ab æterno videlicet, vt fiat diuisio & appareat arida, hoc est tantisper fiat diuisio, donec appareat arida, Et quando apparierit arida? Nunc tertio creationis die; subiungit enim: Et factum est ita, nunc nimirum post secundum diem, quem iam ante completum dixit, & ante finem tertij diei, quem post vers. 13. concludet. Quod si inchoatam & perfectam pariter diuisionem vno die quis comprehendere velit, quæ erit in creatione ordinis & legis nature constitutio, cum nunc successiue & per causas ac consequentia media illâ operari videamus? Necessario tum sequetur Deum omnia creasse, præterito omni ordine & lege nature, atq; hæc positi ipsi nature præscripsisse, atq; indidisse, quod absurdum planè est & impium cogitare. Res enim sunt naturam & legem operandi, secum ex creatione adferre debent, nisi Deû in creando aut consilio aut potentia non satis valuisse sentiamus. Igitur cû secundo versu aquas forti flatu mouerit, intelligimus illum naturalem causam sequentibus operibus instituisse, & iam inde terram ab aqua segregari coeptam, hoc autem die tertio hanc segregationem perfectam & completam fuisse. Hac segregationis causa naturali obseruata, simul inæqualitatis terræ, & sinuum maris causa innotescit, idem enim ventri impetus APHAR illud principio creatum, ita ex diuersis partibus euasit, vt vehementer in altum tolleretur, atq; hinc subsidentem terram in altum colligeret, inde vero profundas maximasq; valles & cauaturas efficeret. Cogitabis ergo ea parte qua nunc est mare Atlanticum, vehementissimū ventum in APHAR incubuisse, similiter & ea parte ferè, vbi nunc Asia & noua India dirimuntur, eosq; ventos vastas ibidem excauationes terræ subsidentis fecisse, & in altis continentes illâ cumulasse, varios item hinc inde turbines ortos, qui minores cauaturas effecerint, & vndis vtrinq; in altu subuectis, terram in montes congerierint. Ita collidentibus vndis, & terram ab aquis segregatam, & per medias regiones in montes collectam altissimos intelliges. Sic per Aphricam mons Atlas, & montes Lunæ, per Asiam mons Imaus & montes Caspij, ceteriq; passim montes, haud dubiè nati sunt. Aquæ autem post longam agitationem ab omni terra desiccata, & in cauitates illas collectæ resederunt, vbi terminum eis posuit Deus, vt ait Dauid Psal. 103. v. 9. nimirum cum graui omnia ad centrum mundi quæ possunt proximè accedant, & aqua quæ fluxa & labilis est, non potens accumulata consistere, quemadmodum terra potest, semper illa ad decliuorem locum labitur, quousque in imo ad libellam se constituerit, vnde per se ascendere nequit, nisi fundum occupante grauiore. Inde fit vt aquæ omnes, non obiectis altioribus repagulis in mare defluant.

Hic iam cogitandum est, solem lunamque & reliqua sydera eousq; collecta & compacta esse, vt in natura sibi indita vires intensiores habere incipiant, iam enim in tertium diem lucis claritate ac virtute naturali creuerunt, proinde in exsiccanda terra plurimum illam adiumenti adferre certum est. Ventus etiam vtrunque adhuc per aërem spirans, humores à sole excoctos & extenuatos è luto eduxit, vt duabus de causis terra exsiccaretur, & in maiorem soliditatem coalesceret. Sic vt habet Dauid Psalm. 23. firmavit Deus terram super aquas, siccitate videlicet & soliditate, sine quibus ipsa fluxilis permanisset, & ad ima relapsa aquis natura sua subsedisset, vt pote grauior, & illas in altum cedere coegisset. Ceterum hanc terræ siccitatem, non absolutam intelligere oportet, sed medicrem, quanta ad terræ stabilimentum, & ad plantarum creationem sufficeret, siquidem antequam plueret, creatæ fuerunt herbæ, quæ succo indigent, & homo ex luto formatus fuit die 6. Quin & hoc considera, si omnino sicca fuisset terra, non potuisset in altos montes attolli, & consistere, humor enim aliquis terram compingit, illo autem expers, omnino dilabitur vt arena, neque etiam gignendis ijs quæ in visceribus eius efficere voluit Deus, idonea fuisset. Obseruandum etiam hic est, quanta prudentia fuerit creatoris in excauandis sinibus illis, aquarum receptaculis, ita enim maria per vniuersum mundum distribuit, vt omnia regna mundi inter se mutuo tractare commercia, & quæ natura aut ars dederit, quouis transuehere possint, tum vt quod maximum est, terra cum aquis collectis vnam efficiens sphaeram, in suo æquilibrio permaneret, alioqui enim terra non fuisset supra aquas firmata, sed plus ponderis in vnam partem collectum, totam terræ massam versus centrum grauitatis & mundi depressisset, aquasque ex altera parte incumbentes illa terræ depressio altius in sublimi sublatas defluere fecisset, & terras proximas occupare. Postquam enim terra aquis in eadem quantitate grauior est, necesse est primum terræ corpus per se in æquilibrio consistere. Deinde maria orbem terræ ambientia, & inter se communicantia sic distribui, vt vndeque in æquilibrio iacentes, non plus ponderis adferant in vnam sphaeræ medietatem, quocunque tandem circulo illam finias, quam in alteram illi oppositam. Si non communicassent maria, sed quædā proprijs sinibus conclusa mansissent, potuisset terra aliquo modo, etiam si non per omnia in se ipsa æquilibris consistere. Quod enim in vna eius medietate defuisset ponderis, suppleuissent aquæ in eadem conclusæ. At cum vsus & officium marium postularer, eorum inter se communionem, propter necessariam circumnavigationem, idem etiam postularer fluminum exoneratio, quæ per solam marium communicationem, æqualiter & iuxta æquilibrio, in omnes sphaeræ partes distribui potest, necessarium in primis fuit, quod dixi, terræ per omnia æquilibrio, neque potuisset aquis illud compensari, illæ enim in parte leuiore altius cumulanda fuissent, quam in grauiore, proinde & defluisent, donec æqualem vndique à centro altitudinem nactæ fuissent. Quod si has, aquas æquilibris compensantes, ita circumuallatas demus, vt effluere non possint, tamen duo inconuenientia sequuta fuissent, vnum quod corruptioni obnoxia, vicina infecissent, nec rebus humanis debitum vsum præstitissent, alterum quod vel in viscera terræ exsuctæ, vel exhalatione paulatim extractæ, locum suum

descriuissent, & æquilibrium totius abstulissent. Quod si ratione aliqua, ibi conseruari posse aquas, contendat aliquis, respondebimus frustra per plura, operosiora, inutiliaque ex reliquo media fieri, quod sine huiusmodi & compendio, & vtilius fieri potest. Quamobrem stat sententia machinam terræ in se ipsa æquilibrium esse, & ex consequenti etiam mare, quod illius sinubus continetur, tum etiam hoc continuo moueri, ne corrumpatur & inficiata ærem, ac pisces interficiat. Quin etiam terram intus ac foris diluit, ut munda & salubria sint omnia, corruptione omni, motu & attritione consumpta ac difflata. Hæc omnia importat centri grauitatis & mundi constitutio, quæ si à veteribus cognita & examinata fuissent, de nouæ continentis, quæ nostro seculo inuenta est, de quæ meridionalis continentis, quæ nec dum explorato polo Antarcticò subiaceret, situ & magnitudine prope verum iudicassent. Etenim cum terræ veteribus cognita 180. gradibus longitudinis comprehendantur, hoc est, dimidiam tantum spheram occupent, necessarium erat tertundem terrarum in altera medietate extare. Et cum Asia, Europa & Africa pro maxima parte vltra æquinoctialem, versus boream sint sitæ, necesse erat tantam continentem sub antarctico poli existere, quæ cum Asia & nouæ India, siue America partibus meridianis, reliquis terris æquiponderaret.

Terram sic, ut dictum est, ab aquis segregatam & animalium vitæ apparatus Deus, inquit Moses, vocauit EREZ, hoc est terram, & aquas collectas IAM, id est maria. Non est autem putandum quod statim separatione hac facta, hæc nomina protulerit, quemadmodum nec antea diei, noctis & cœli nomina, cui enim ea dixisset, cum nec dum, homo cuius hæc opera cognoscere maxime intererat, creatus esset: nisi quis angelis dicta contendat. Cæterum aliud & grande mysterium hic insinuari persuasum habeo, videlicet immensæ dilectionis, amantissimæque & beneficentissimæ conuersationis Dei cum homine, quem singulari proposito ac studio creauit, testimonium. Existimo enim hanc nominum patefactionem non hoc die, sed postea in familiari colloquio Adamo factam, significare. Etenim cum Gen. 2. v. 19. animalia ad Adam adduceret Deus, ut illis nomina inderet, non dubium est, quin latior ipsi sermo fuerit, & de creatione rerum pluribus cum illo egerit, lucem, diem, noctem, cœlum, terram, mare, solem, lunam, præcipuasque mundi partes nominando, quod postea ris veram totius opificij historiam tradere possit, ut etiam illa ab Adamo ad Moysen usque, mediocriter conseruata fuit. EREZ vocabulum (ut Augustini Eugubini verba referam) propriè designat, quod calcatur, à verbo RAZAZ, addita iuxta idioma hebraicum litera aleph, quod consilium creandæ terræ demonstrat. Creata est enim ut ab animalibus nobilissimis, quibus omnia creabantur, calcaretur. IAM, id est consonans, fremens, tumultuans, fit à verbo HAMAH, quod fremere, vociferare, ac stridere significat. Igitur ex hac Augustini deductione liquet EREZ & IAM, talem terram talesque aquas, re significat. Igitur ex hac Augustini deductione liquet EREZ & IAM, talem terram talesque aquas, quales nunc sunt terra, quæ animalibus terrestribus est pauimentum, & euntibus, quiescentibusque, sustentaculum præstat, ac mare vastum, quod ex congerie fluminum collectum perpetuò fluit ac refluit, sonitum stridoremque efficiens. Et quidem terra cum à terendo dicatur, propriissime voci EREZ, respondet. Aduerte & hoc quod ibidem Augustinus monet. THEHOM ab eodem verbo HAMAH deriuari, adeoque abyssum frementem & tumultuantem signare, ex nominis ergo significato intelligis ventum illum discretorium, de quo cap. 7. disserui, statim à principio in chaos fuisse, nec alium ibi spiritum quam statum hunc, totam molem exagitantem intelligendum esse, proinde & naturali partim modo discretionem aquarum & terræ factam fuisse.

FABRICÆ MVNDI

Caput vndecimum.

De creandorum, quæ duplici gradu & ordine.

HÆtenusea tantum sunt creata, quæ ad generationem eorum pertinebant, quæ homini ad vitam sunt necessaria, quæque eorundem domicilia erant futura, hoc est, elementa ex quibus, aut ea, quorum opera illa erant generanda & sustentanda. Diuidit communis sensus creata omnia in tres classes, aut potius gradus, in ea quæ sunt, ea quæ vegetantur, & ea quæ sentiunt: quæ diuisio si recte intelligatur & expendatur, elegantissimè speculationi nostræ conuenit, eamque plurimum iuuat, & sapientiam adfert. In primo gradu non oportet nudam essentiam sine omni forma & qualitate atque efficacia, qualem somniant primam materiam philosophi intelligere, nihil enim tale creasse Deum ostendi, sed illa cogitanda sunt, quæ quæcunque sint virtute aut potentia, tamen sine omni sunt motu, ita ut ubicunque iaceant, stent, pendeant, immota per se maneant, nec augmentum sibi vllum assument, vel ut planius dicam, quæ in se vim crescendi non habent, sed ut natura primum formauit, ita sunt & manent, nihil in se vitæ habentia. In 2. gradu sunt omnia quæ in sese primum vitæ gradum habent, videlicet vim vegetandi & crescendi, nec altius ad vitam ascendunt. In 3. gradu sunt quæ præter vegetatiuam, etiam vim sensitiuam habent, ac propria virtute, pro sensus conditione, se mouent. Hucusque ex prima materia procedunt creationis gradus, & quia animi hominis, quo solo à brutis differt, non ex prima materia, sed priuatim & singularim à deo creari vulgo credunt, hominem ipsum ceteris animalibus annumerant, & in 3. creaturarum gradu comprehendunt. At vero cum suo loco ostendero, etiam animum hominis ex prima materia per intermedios perfectionis gradus deduci, quæ rectè in 1. lo creaturarum gradum constituendum esse patebit. Est itaque primus gradus eorum quæ sunt, 2. eorum quæ vim habent vegetatiuam, primum vitæ gradum, tertius eorum quæ sunt, vegetantur, &

& sentiunt, atque ex sensu mouentur voluntariè, quartus eorum quæ sunt, vegetantur, sentiunt & intelligunt atq; ratiocinantur, aut breuiter, 1. quæ sunt, 2. quæ crescunt, 3. animalia quæ sentiunt, 4. quæ intelligunt & ratiocinantur, superiores enim gradus inferiores complectuntur. In hos 4. gradus oportet philosophantem diligenter animum intendere, & ordinem creationis his gradibus ascendente & progredientem obseruare. Neque tamen cogitandum est, omnia quæ sunt primi gradus, procreata fuisse ante ea quæ sunt secundi, non enim lapides pretiosos & metalla ante herbas existere necesse fuit. Hoc enim statuendum est in primis, ea primum creanda fuisse, quæ hominis vsus mox posulabat, gemmæ & metalla etiam si diu post hominem sint nata, nihil incommodi adferre potuerunt. Verum dices mihi, ante septimum diem creata illa esse oportuit, recte dicis, sed attende ea tum creata censeris, quando terræ mandauit Deus ista generare, terra enim constituta est mater horum, & mater manet, penes se & ex se semen concipit, vnde illa perpetuo generet, ac pro sua fecunditate suo tempore perficiat, at tarditas perfectionis nouæ speciei generationem non remoratur, quia ipsa vltima est, nec consequenter generat. Quod si gemma gemmam, & metallum sibi simile, debuisset procreare, tum vim specificam & seminariam oportuisset metallo & gemmæ indi, quod creatoris erat non terræ, sic vtique ante septimum diem gemmæ & metalla perfecta esse, & virtutem specificam sibi à Deo inditam habere debuissent. Quod si ordinem in Genesi mundi expressum obseruamus, tertio id die cum herbis faciendum fuisse videtur, similis enim fuisset in vtrisque generandi modus, & vterque in eodem gradu, vegetantium scilicet, numerandus fuisset, adeoque pariter adoleuissent. Itaque cum horum seminaria ratio penes terram maneat, licet adiutrix & fortasse formatrix aliqua virtus ex coelestibus accedat, censendum est, horum creationem tum perfectam fuisse, cum seminaria ratio & vis generandi, terræ à domino impressa fuit, quod nihilominus eodem hoc 3. die, iuxta naturalem rerum progressum, factum credibile est, cum terra sufficienter solidata fuit, & astra iam proximè suam formam compleuerant. Nullum igitur inconueniens inde nascitur, si metalla & gemmæ & quæcunque similiter à terra genita, propriam sui propagandi vim non habent, post aliquot demum annos, procreata dicantur, & fuerint, cum ratio seminaria & vis specifica, principio terræ indita fuerit, quæ generationem complet.

Hic iam duplex generationis ratio occurrit, quæ prudenter distinguenda venit, vt ne iustus creationis ordo in Genesi manifestè conspicuus turbetur, & ordinis quoque ratio per omnia constet. Vna est ipsius speciei, quæ semper sibi simile profert, vt equus equum, ouis ouem, &c. vsque ad finem mundi, quia ex propria substantia, & per propriam generandi vim, de cuius supra omnem modum admirabili mysterio sequenti capite dicemus. Altera est quæ non sibi simile, sed specie differens, pro qualitate spirituum diuersi generis concurrentium gignit. Sic terra, aurum, sulphur, plumbum, &c. generat, sibi dissimilia & alterius speciei, cuius vim in se habet ex creatione, non autem postea nec aliunde nisi ab opifice creatore acquirit. Vides ergo duplicem generationem specierum, quarum quæ à specie ipsa fit, speciei etiam intra sex dies creationis perfectionem requirit, quo specificam illam vim generandi à creatore accipiat, quam nec terra nec cælum, nec aliqua prius creata species dare potest, solius creatoris est eam vim creatis speciebus indere. Propterea versu 22. etli aquæ primas species piscium & volatilium produxissent, non tamen illis totis earundem specificam vim perpetuam & propriam fecit, sed eandem vim in propria materia earundem specierum ex aquis sumpta, inchoatam cum animalibus ipsis perfecit, iidemque impressit atque indidit, dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, volatile quoque multiplicet sese in terra. Quæ vero species hanc benedictionem non acceperunt, ex neque ex se multiplicari possunt, sed accidentariam quandam generationem habent aliunde, nimirum ex certo elemento, aut elementis quibus eam generationis vim Deus indidit, tunc haud dubiè, cum perfectam speciem nata propriam quæque naturam propriamque spiritum adeptæ fuerunt, quemadmodum & animalibus perfectis eandem vim indidit. Quamobrem cum harum specierum specifica vis, elementis iam perfectis impressa sit, non opus fuit lapides, gemmas, metalla & reliqua eiusmodi, ante septimum diem in conspicuum proferre, eorum enim creatio iam in elementis facta erat, nec vltiore creatione opus habebant, eorum generatione naturaliter iam ab elementis pendente.

Iam hisce rerum gradibus constitutis, secretioris philosophiæ studiosus diligenter perpendat, qui horum sint nobiliores, & quo ordine, quibusque & quot medijs, ad suæ speciei perfectionem adducantur. Quoniam autem intellectus & ratio aliquid supra sensum & virtutem motiuam addit, & hæc plus habet quam vegetatiua, rursus hæc primus eorum quæ sunt ad vitæ accessum existit, facile intellectu est, hos gradus quo ordine enumerantur, eo etiam à natura formari ac nobilitari. Exemplum omnium in hominis generatione habemus, in quo vis specifica à parentibus semini impressa, ei que innata primum corpus & viscera format, quæ tantisper dum cor formatur in primo consistunt gradu, at mox corde formato vegetam naturam induunt, & alimentum ad se trahere ac crescere incipiunt, post hebdomadas autem circiter sex, tertium adeptæ gradum, se mouent, ac tum quidem nullum intellectus siue animæ rationalis vestigium, in foetu licet deprehendere, necessariò tamen animæ rationalis substantia, etiam in primo conceptu illi adest, si generari illam à parentibus concedimus, at formatur tum illa adhuc, & postrema

postrema ut nobilissima perficitur. Proccedit ergo omnis generatio ab ignobiliore ad nobilius, & summo cuiusque speciei fastigio perficitur, nec ultra ascendit. Nihil enim suae speciei metam supergredi valet, quia vires ei vltiores datae non sunt, sed benedictio generationis, ipsa specie terminatur. Sic ea quae sunt tantum, quantumvis in suo genere nobilitate cetera excedunt, ad crescendi tamen potentiam non pertingunt, quae vegeta sunt, alia quidem alijs sunt nobiliora, verum ad sensum non perueniunt, & animalia quorum in sua specie vestigium est sensus & motus, ad intellectum non pertingunt, hic enim superat omnia, & Dei refert imaginem. Hunc nunc eundem ordinem observabis, lector, in rerum creatione servatum esse, haec enim creavit Deus ea quae sunt, deinceps ex his ipsis assumpta nobiliore substantia, creabit ea quae sunt secundi gradus, nimirum herbas & plantas, deinde animalia, quae sunt tertij ordinis, & in his primum quae ex aquis sunt & ignobiliora, postea terrestria, quae subtiliore & sicciore, calidioreque spiritu dotata, subtiliora etiam sunt sensu, & ad intellectum non nihil accedunt, denique hominem ipsum, qui ceteris omnibus ratione & sapientia dominaretur. Ita nobiliora posterius creantur, quia nobiliore ac magis defecata digestaque materia egent & proinde tardius perficiuntur, natura quae prius creata est, iuxta suum genium & modum ab idea Dei inditum semper operante. Est autem idea Dei opus sapientiae eius, voluntas ordinis, virtutis & proportionis, rerum creandarum & sustentandarum. In summa, si quis intentius ordinem rerum perscrutetur, & specierum communionem differentiamque consideret, intelliget creationem rerum ab ima & ignobilissima specie sic fere sursum ascendere, quemadmodum arbor primum vnicum habet truncum, in quo omnia quae sunt à radice ad summum usque, sunt vnum, communionem speciei, singulis interim partibus suas in eo venas habentibus, cum vero ad aliquam differentiam incipiunt accedere, fit prima trunci diuisio in ramos, ramus deinde quilibet vnus aliquandiu existens, donec in diuersum illius venae abeat, fit secunda diuisio ac sic deinceps, donec ad extremos ramos & fructus peruentum fuerit. Ita chaos vnicum omnium specierum creandarum est truncus, radicem & initium in vniuersali idea creatrice, quae est in mente & voluntate diuina, habens. In hoc trunco omnia adhuc vnum sunt, in seminaria ratione chaei latentia & communicantia, porro ut vniuersalis illa idea creatrix rerum, per diuisionem in determinatum specierum numerum & formam sese paulatim ascendendo diuidit, ita ex vna simplici incomposita specie chaei, paulatim specierum differentiae oriuntur: tantisper enim omnium destinatarum specierum substantiae vna manent, donec in eo in quo communicant perfecte ad differentiam vergunt, inde quae adhuc communicant, vno ramo contentae cohaerent, donec in propriae speciei viam perueniant, suam quaeque altissimam siue extremam & perfectam speciem sectantes, sic omni vndeque veluti per omnes creaturae ramos facta excoctione, distillatione, defecatione, extenuatione, sublimatione, aut quocunque tandem modo, actus iste ad supremi operationis scopum tendens nominandus est, tandem ad singulas species conceptas peruenitur. Ceterum id memoria tenendum est, quae superioris sunt gradus tardius perfici, quandoquidem per intermedios gradus ascendunt. Sic animal cum tres ascendat gradus, nimirum per esse, & per vegetam speciem usque in sensum & motum, necesse est vegetantia vno gradu prius perfici. Ita enim de idea illa in Deo vniuersali cogitandum est, illam in creatione ita suas impressiones facere, ut à trunco incipiens, ordine inconfuso ac recto tramite, paulatim per nobiliores & nobiliores ad summam speciei productionem tendat, & quae vnus sunt gradus simul perficiat. Deinde quae sequentis & nobilioris, ut in creatione plantarum, animalium & hominis videmus. Iam species quae in vno gradu consistunt, siue vnus sunt generis, ut in plantarum genere salix & quercus, gradibus quibusdam excellentiae aut nobilitate inter se distinguuntur, quamobrem perfectius aut nobilius quid, tardiusque effectus est in vno quam in altero, inde fit quod tardius quercus quam salix crescat & adolescat. Non minus tamen quercus quam salicis creatio tertio die fuit absoluta, nam ut mox videbimus vis specifica simul cum germinante herba nata, plantaeque per ideam formatricem impressa est, duobus enim his creatio eorum quae sibi simili sunt gignitura, absoluitur, specie ipsa & specifica, hoc est, propagandi speciei virtute, quae deinde sequuntur incrementa & fructuum generatio, opera sunt ipsius speciei naturalia, virtutem illam & creationem consequentia. Hic autem meminisse oportet, quod septimo capite diximus. Mox ut materia rei alicuius parata fuit, simul species rerum inde creandarum nata est, tametsi res ipsa serius adoleuerit, ut sol primo die cum lucem Deus crearet, creari coepit, cum quarto demum die perfectus fuerit, sic paratis aquis, tertio die species piscium creari coeperunt, & exsiccata terra species animalium terrestrium, cum hac quinto demum die perfecta fuerint, sic tertio die species quoque herbarum & plantarum creari coepit, licet quarto demum die absoluantur. Moses enim tempus absolutorum operum tantum notat. Simul ergo species plantarum & terrestrium animalium, perfecta eorum matre terra, natae sunt, sed quae solidioris erant substantiae tardius absoluta, ut quercus quarto die serius adoleuerit quam herbae. His de gradibus & ordine rerum creandarum consideratis, ad plantarum creationem veniamus, quae est altera pars operis huius diei tertij.

FABRICAE MVNDI

Caput duodecimum.

De herbarum & arborum creatione, & Spirituali substantia.

Postquam

Postquam tertio die, primò separavit aquas, quæ sub celo sunt à terra, durante adhuc flatu, alterū opus huius diei sequitur, creatio herbarum & arborum, de quo nunc agemus. Quandoquidem homini & ceteris animalibus ex herbis & fructibus viuendū erat, ad secundum rerum gradum, qui est primus vitæ, procedit creatio, & quia in illorum alimentum erant transitura, modum inuenit Deus, quo multiplicarentur per semen & vim specificam, quibus Deus benedixit, ut sufficerent omnibus animalibus, etsi enim non addatur benedictio multiplicationis, ea satis intelligitur facta ex eo, quod reliquis creaturis eam adiecit, & ver. 29. 30. omnibus animalibus ea in escam donat. Benedictio autē quæ exprimitur, piscium & auium est ver. 22. Crescite & multiplicamini & replete aquas & terram. Et hominibus dicit, v. 28. Crescite & multiplicamini & replete terram & subijcite eam, atque dominamini piscibus maris, & volatili coeli, & omni bestia reptanti super terram. Parata igitur terra ad generationem, dixit Deus: Germinet terra germen, herbam producentē semen iuxta speciem suā, ut habet sequenti versu, hoc est, ex quo eiusdē speciei herba nasci potest, & arborē fructiferā, facientē fructum iuxta speciem suā, cui insit semen suum super terram, hoc est, faciat fructum in quo nascatur semen eiusdē speciei, interea dum crescit arbor super terram, ex quo eiusdē speciei nasci potest arbor. Cum inquit germinet, certum est non statim, ut dixit, herbā & arborē perfectam fuisse, sed ex puncto & veluti atomo terræ, non aliter quam ex semine (quod exiguum cum sit, omnem tamen virtutē suam in minima sui parte & gemmula, quæ altero fine comprehenditur & latet per specificā Dei ideam & benedictionē pullulauit, germinauit, & sensim in adultam plantā aut arborē excreuit.

Postquam nunc ad primum gradum vitæ peruenimus, necesse est spiritalis substantiæ, à qua vita sita originem habet, naturam & conditionem rimari & prosequi. Ut omnia per euaporationem & exhalationem ex chao, orta dixi à capite sexto, deinceps ita paratis nunc elementis ad generationē, & celestibus ad influentiam, virtutum atomos siue minimas particulas aquæ & terræ assumpsit omnipotens creator, quibus specificam vim iuxta ideas, & pro numero idearum in sapientia sua comprehensarum indidit, & addidit sibi simile generandi benedictionem, ut multiplicarentur eadem perpetuò specie conseruata. Est autem spiritalis substantia, nobilior cuiusque elementi aut corporis generatiui pars, quæ attrahendo alimentum, in suam naturam conuertendo, & ad incrementū corporis protrudendo vim ex benedictione & natura habet. Sic terra, aqua, aer, & cetera corpora ex se spiritalem substantiam exhalant mediante calore, quæ à specifica seminis substantia, in eandem naturam & speciem conuertitur, & incrementum, aut motum, aut sensum pro conditione speciei suppeditat. Si nullis substantia cum in visceribus terræ generatur, & intra terram suam speciem profert, non incrementum speciei adfert, sed in ipsam coagulatur & colligatur, insolubilis ab ea, nec aliorum exhalat nullum sui odorem nec virtutē effundens, nisi attractu & operatione permanentis qualitatis. Sic aurum in quantitate spiritalis substantiæ coagulatur, nec accipit incrementum, quin potius à calore sulphureo contrahitur, ut fiat ponderosissimum. Lapidēs similiter generantur. Herba & arbores cum crescere debeant, molle & ductile alimentum habent, proinde & odores & virtutes exhalant, & tandem paulatim consumuntur cum crescendo maturuerint. Hæc spiritalis substantia sola est, quæ speciem seruat (intellige quæ in planta est, non quæ extra) hæc enim primum ab illa attracta mutatur in speciem, deinde alit & conseruat, & quamdiu nihil ipsam speciem corrumpit, tam diu alit, semper eosdem caracterismos, foliorum, florum, ramorum, fructuum, odorem, saporem, colorem & reliqua accidentia conseruans, adeo pertinaciter, ut si furculus vel gemma alteri plantæ inseratur, ibi quoque suam indolem sequatur, omne alimentum in suam speciem mutando. Quodlibet autem alimentum sic attractum in formam eius partis, ad quam vltimò peruenit, mutatur. Sic succus arboris cum ad fructum peruenit in speciem fructus mutatur, cum ad folij, in folium abit. Et alimentum animalis cum ad epas vltimo attractum est, in epas transit, cum ad musculi alicuius radices, in eius substantiam transit, & sic de omnibus: quodque autem membrum ad se trahit, quod illi magis est idoneum. Quædam autem quæ corpori alendo inidonea sunt, natura expellit, alia in crines, alia in ungues, alia in scabiem, alia aliter aut plane extra corpus. Quædam quæ occulta vi, visceri alicui sunt appropriata, naturali affectu eo tendunt. Propterea diuina admodum res est, ista seminaria & spiritalis substantia, in qua omnis specifica vis & conseruatrix virtus à creatione inest, in qua omnis corporis motus animali necessarius mediante corde cietur. Cor autem primum ab ipsa formatur in medulla animalis, ut omnibus eius extremis illius virtus sit præsto, & semen simile ad generationem præstat, ut eiusdē speciei maneat continuatio vsque ad finem rerum. Illud autem sciendum est & considerandum, ipsam speciem non ab astris fluere, sed ab eo cui Deus primum indidit, & ad generationem benedixit: adiumento quidem sunt astra, sed omnium specierum origo & radix est in his inferioribus. Cum autem mundus hic sit ut veluti vnum corpus, partes inter se harmonicas & in vnum conspirantes, quemadmodum & singula animalia, habens, ad cuius & Dei exemplar, homo tanquam microcosmus sit conditus, & imaginem Dei referat, & oiconomiam partium similem, credibile est, mundum quoque solem tanquam suum cor habere, veluti principium omnis vitæ, & à principio, cum lux crearetur, initium habuisse & idem officium in mundo, intra conuexitatem firmamenti præstare, quod cor in homine, omnia sursum & deorsum suo calore & lumine fouendo, & propterea in medio illius mundi (paulo altius ut cor in homine) constitutum esse.

FABRICÆ MVNDI Caput 13.

De Ligno vitæ.

d

Talem

Talem seminariam speciem toto terrarum orbe, ubi ad hoc idonea erat elementi temperies, dedit, ut nusquam illius speciei virtus deesset, non enim locum mutant plantæ, & animalium modo, per terras ambulant, sed suo loco consistentes semen maturum ibi proiciunt, neque transplantandi hominibus data fuit cura, ut quibus omnia sponte offerebantur necessaria. Cumque nihil frustra & sine causa sapientia Dei crearet, quod non ad aliquam vitæ necessitatem sit utile, certissimum est nullum esse morbum, nullum naturæ defectum, cui non propitio remedio prospexerit. Quamobrem tot species plantarum pullulare & enasci fecit, quot conservandæ & sustentandæ hominum vitæ & omnium animalium opus erat, & lignum vitæ in medio paradysi collocauit, ut homo quousque mandati exercitio & obsequio diuinior factus, in coelum transferetur, eius usu vitam salubrem conservaret: sic & bruta animantia suæ naturæ subsidium quaerunt, Hirundo Chelidonium, Catus Nepetam, Bufo Plantaginem & Saluam, Canis graminem, Testudo Cunilam, Mustela Rutham, Ciconia Origaganum, Perdix Parietariam, quæ & Perdicium dicitur, Accipiter Hieracum, Columba verbenacam, Pica quoque agrotans dicitur lauri folia in nidum congerere, quo morbos illis arceat, sic Cervos credimus Dictamnem herbam, quod eius pastu telum eiecisset, sagittarum vulneribus mederi, ostendisse. Cervas Sefeli herbam demonstrasse arbitramur, & Fœniculū nobilitasse Serpentes, nam gustatu & esu ipsius senectam exuere, oculorumque aciem succo eius reficere scimus, quod & pluribus liceret ostendere, quandoquidem natura ipsa animantia docta, plurimarum herbarum vires sibi cognitæ mortalibus indicarunt. Tales autem species plantarum in quaque regione creavit, quales hominibus & animalibus ibidem natis, temperatura convenirent, quod compementis septennumero probatum est, ita ut ex sola plantarum nascentium frequentia animaduerti ferè possit, quibus morbis popularibus, nimirum *typhus*, quælibet regio subiecta sit. Ita apud Danos, Phrysiis, Hollandos, quibus Scorbutus dictus morbus frequens, istius quasi proprium medicamentum Coclearia scilicet copiose provenit, Ita ubi in paludosis locis Tamariscus natale solum agnoscit, plerumque lienis ibidem vitæ expostum sunt incole, quod ex lurido colore, qui in tumefcente cute illis efflorescit, hypochondriisq; inflatis videre licet. Eodem modo observatur, quibus in pagis circa sepes in arcibus frequens Absinthium luxuriat, in istis habitatores naturalium viscerum obstructionibus, ventriculi infirmitate, suffusione bilis plurimum affectos, ut facile, nisi prædictæ herbæ usu, viscerum meatus referantur, extersaque bile eadem roborentur firmenturq; in lictum primum, paulo post in Aquam intercutem exorbitent. Et licet quædam sint inimica & venena quibusdam, suo tamen modo adhibita, sunt salutaria, sic ex pessimis venenis sit nobilis theriaca, & nihil est tam alienum à natura hominis conditum, cuius usus alicubi non sit utilis. Nunc de semine agamus. Ex atomis terræ per opus sapientiæ, ideam Dei ac benedictionem, creavit Deus herbas & plantas, sic autem creavit quemadmodum nunc ex semine illa nascuntur, eadem enim est primæ generationis, quæ secundæ, operatio, cum sit & maneat eadem species.

Quemadmodum ergo ex semine nascitur planta, ita & ex atomo terræ, per ideam formato in certam speciem, & è contrario. Ex semine autem gemmula altero sine comprehensa, qua parte seminis apicem facit, humorem terræ aut aquæ attrahit & radiculam unam aut plures facit, pro ratione speciei, perque eas alimentum attractum in alterum sui finem, truncum generat, & consequenter quæ truncum adherent rami & folia, specifica autem vis est in gemmula illa, quæ omne attractum alimentum in suam naturam & speciem mutat. Eadem est ratio in atomo terreo formato per ideam, non enim aliter suam germinationem facit quam semen. Porro illud alimentum attractum ut magis sursum fertur, magis etiam ac magis in formam eius, quod inde nascitur alteratur, in ramos à trunco divisos, in folia, in flores & in fructus. Perfectissimus omnium est fructus in quo absolvitur semen, quod ad multiplicationem speciei datum est. Et superiora per calorem ad ad crescendum excitata, succum ab inferioribus trahunt, radix autem non potens sufficiens alimentum superioribus administrare, novas attrahendi colligit radices, per quas copiosius alimentum colligit. Hinc consequitur, quæ plantæ plures habent radices, eorum superiora maiore alimento opus habent, & fructus sunt humidiores, nisi radicum potior sit usus, quam fructuum, in quo sapientia diuina animalium usus providit, sic herbæ, quarum radices esui destinatae sunt, plus succi attrahunt, & radices succulentiores sunt & crassiores, natura præcipue radicibus incrementum non herbis procurante, & quæ longiores sunt, ex siccioris pinguiorisque ferè sunt substantiæ, ut quæ siccius alimentum in profundo quaerunt. Multa ex accidentibus & proprietatibus radicum observari possunt, quæ ad naturam, earundem & herbarum, disquirendam pertinent. Desertur autem succus attractus in herbis sursum, per partes nondum alteratas, in arboribus vero per corticem, utpote spongiosum magis, donec ibi longiuscula mora alteretur à vicina parte, & quod nobilissimum est & deſecatiſſimum, sursum in flores, fructus & semen attollitur. Multa hic indaganti occurrerent speculationes. Quod vero sic, ut dixi, sursum feratur succus attractus, docent nos insitiones furculorum in arboribus, in iis enim attractus humor primum furculorum cortici communicatur, ubi moram faciens cortices furculorum corticibus stemmatum unit, & post lignum ligno connectit, sed species quæ in stemmate est, mutatur in speciem furculi inserti, sic iuxta mandatum Dei eadem species semper eadem producit, siue ex semine, siue ex furculo inserto, & consequenter iuxta illius speciei naturam ramos, folia & fructus ac semen profert. Non inutile etiam consideratu est, quanto tempore: & quanto à terra interstitio, fructu, & semen adolescat, & quibus humoribus plantæ circa radices delectentur, quos refugiant, & si possibile sit, quo pacto succus alteretur per singulos gradus, in radice, in trunco, in foliis, in floribus, in fructu, in semine, sic enim speciei naturæ exactius dinoscetur, saltem hoc in confesso est, alimentum plantæ multo nobilius esse in fructu quam in planta, nobilissimum autem in semine, ut quod i copus est totius creationis illius speciei.

Ex

Ex iam dictis colligitur, alias herbas & arbores in alijs regionibus creatas esse, & experientia docet, alias in America siue Nova India esse, quæ nusquam in hac nostra continente, Asia, Africa, & Europa reperiuntur, quæ tantisper in hominum usu non fuerunt, donec eò aliqui emigrarent, quod post ætatem Christi & Apostolorum factum, opinor: similiter & animalia ibi sunt, quæ in nostra continente minime inveniuntur, quæ haud dubiè à creatione mundi ibi extriterunt, vnde suspicor eas terras diluvio obrutas non fuisse, cum hominem delere vellet Deus, Gen. 6. vsque ad v. 7. non enim ibi erant homines, proinde nec animalia ibi creata, ibiq; habitantia delenda erant, ut periret homo, quem condidisse poenitebat, propter causam in animalibus non repertâ. In ista vero nostra continen- te perire animalia debuissent, nisi aliqua in arca fuissent seruata, quia in aquis vivere nō potuissent.

Quum igitur virtutes ligni vitæ, sparsim toto orbe condidisset Deus, eadem opera vtrique homi- nis statui consuluit, obedientiæ & peccati, nec vis ligni vitæ in paradiso, aut per orbem sparsa, frustranea fuisset. Impleto enim hominibus mundo, non omnibus ad lignum vitæ patuisset accessus, sed æquiva- luissent herbæ ac plantæ sparsim natæ, & fuisset homini certus delectus, & benedictio omnē morbum auertisset. Cum igitur ad usum & ministerium hominum sapientissimè creata essent, in superiore si- mul ac inferiore mundo, quam pulchra harmonia tum fuit: ubi ima supremis consentiebant, & ab illis opem expectabant, suprema imis sua dona conferebant, & omnia homini subseruebant, donec à Deo in coeleste habitaculum transferretur. Hæc oïconomia, hæc pulchritudo status, inuiolata per- mansisset, si Adam non peccasset, eadem tamen harmonia, si quis diligentius attendat, in primæ na- turæ vestigijs adhuc deprehenditur: nihil enim tam exiguum est, quod non alicui seruiat & à perfecti- ore dependeat, omnia propter hominem sunt, ad scopum ergo cū omnia tenderent, & scopus ille, ho- mo inq; ex varijs partibus constaret, quæ tamen consentientissimam inter se harmoniam seruarent, utpote in qua vita consistebat, alia stomacho, alia epati, alia cordi, alia sanguini, alia renibus, &c. sub- seruebant, quamobrem tot erant simplicia aut plantæ, quot viscera in homine, & quot viscerum af- fectiones. Et quum vnumquodque ens attractum alimentum in suam speciem mutet, & sint diuersæ stationes in corpore humano, & diuersæ viæ ad singulas extremas stationes per quas alimentum me- et, puta in ventriculo, in epate, in sanguine in liene, &c. ea simplicia sunt fortiora, aut citius tanquam amica medias stationes permeant, quæ virtutem suam integram ad extremas deferunt, & ibi operantur, quæ vero illic à natura alterari non possunt, ea aut venena sunt, aut naturæ molesta. Quæ in pri- mis stationibus alterantur, amica sunt naturæ, aut exiguæ virtutis. Quæ integra virtute ad extremas stationes penetrant, amica naturæ existentia, ea sunt quæ illi membro aut visceri magis sunt appro- priata, & quosdam característicos habent, ex quibus dignosci possent, si quis diligentissimè perscru- retur. Videmus enim eas quæ magnam naturæ similitudinem habent, etiam in figura communica- re, sicut cepæ & allia, & quæ his similia sunt, bulbos habent pro radice, & similem fere herbam sur- sum generant, si flores colore differunt, hoc pro singularum peculiari proprietate & aliquali diffe- rentia fit. Sic multæ sunt herbæ & arbores, quæ folia in ambitu dentata in modum serræ habent, quæ eadem de causa sic germinant, proinde simile aliquid habent in natura, in quo conueniant: multæ item herbæ & plantæ, folia in ambitu minime dentata, sed æqualiter circumscripta habent, multa dentata in acumen abeunt, multa in rotundos veluti lobulos, ut ruta, multa in aciem duram & pun- gentem, veluti taxus, omnia diligenter obseruanda, siquidem non casu talia sunt, sed ita perpetuo producente natura: quamobrem cum nihil temere natura producat, & eiusdem figuræ eadem perpe- tuo creata est causa, necesse est multa certa specierum lege similia esse, & natura aliquo modo com- municare. Amplius cum coelestium & terrestrium in eundem scopum, hominem, sit conspiratio & societas, coelestia autem sint æterna, species etiam in hoc inferiore mundo sint æternæ, easdem sem- per in figura & forma generationes habent, & singulæ à proprijs in coelo causis dependent: vtile est in característicos plantarum intendentes, multa in vnum astrum respicientia, multa item eiusdem naturæ apud medicos peritiores participia colligere & perspicere, in quibus figura, colore, sapore, ca- terisque qualitatibus sibi mutuo respondeant, sic enim ex similitudine de natura rerum iudicare dis- cet. Est enim cuiusq; naturæ proprius character, quem perpetuo seruat, aspirante consimili in cœlis natura. Hæc pro mea qualicunque speculatione lectorem admonere volui, quò rem longe vtilissi- mam, in qua Salomon multam laudem 3. Reg. 4. cap. v. 33. adeptus est, suis studijs adiuuet. Quæ enim præ oculis sunt, & perpetuò eandem legem naturæ, in figura & forma sectantur, quid in studio & in- dustria peruestigare possent? Operosum quidem est, sed omnia vincit labor. Audiui ego industriæ & solerter admodum, de herbarum characterismo differentem Illustrissimi Principis Iuliaci Medicū doctissimum, Reinerum Solinandum, qui vtinam in tam necessaria philosophiæ partē pergat adui- gilare (si quisquam potest, ille potest, quia est dexteritate ingenij in perscrutanda natura, & causis rerū) breui apodixes characteris morum haberemus, & occultas singulis visceribus appropriatas.

Itaq; dum vbique virtutes ligni vitæ constituit Deus, recte Psalmista inquit psal. no. Magna opera domini exquisita in omnes voluntates eius, semper ad scopum præconstitutum opus suum dirigit, si- ue primo mandato obediat Adam, siue non obediat, idque in summa sapientia, misericordia, boni- tate & iustitia.

Postquam pro meo exili intellectu de natura & varietate plantarum egi, vnum est summum natu- ræ miraculum, quod tam multa quæ sunt in singulis speciebus, verbi gratia, magnitudo, forma, figura, odor, sapor, color, folia, nerui, radices, cortex, vis, & infinita quæ vni plantæ insunt, in tā exigua semi- nis gemmula, quam dixi, latet: vis enim tota speciei, in illa gemmula absconsa est, cum gemmula illa

nihil in se talium habeat, ne vestigium quidem ullum, sed sit totum homogeneous, & eiusdem planè naturæ appareat, quam obrem mihi rectè iudicare videor, ideam simplicissimam quæ principio formavit semen, adhuc speciem comitari, & eandem operam continuare, quousque cesset generatio. Et hoc est quod Christus dixit: Ioh. cap. 5. v. 17. Pater meus usque modo operatur & ego operor, quò licet sabbatum à creatione sit, non tamen à sustentatione creaturarum, sed quod opus illud daret usque ad finem rerum. Non video quid aliud hic dici possit. Qui huius speculationis studiosus est, præcipuè attendat, quæ accidentia cuique speciei sint propria, & horum causas, si potest, perquirat, in primis de figura, & eius incrementum à radice usque ad summum quo ordine fiat, respiciat, quo pacto per corticem, per venas & nervos foliorum, usque ad ambitum eorum procedat & distribuatur, & cuiusque naturæ characterisimum proprium, tandem haud dubiè inueniet. Finis tertij dici.

FABRICÆ MVNDI Caput 14.

De luminarium creatione.

QVARTVS DIES INCIPIT.

Creatio luminarium licet quarto demum die perfecta fuerit, primo tamen die creari coeperunt, id liquet, quia non est aliud lumen quod diem à nocte distinguat quam solis. vt v. 14. proprietas illi ascribitur, & iam tres dies elapsi sunt, quare illud lumen, quod primū diem à nocte distinxit, haud dubiè solis futuri lumen fuit sparsum adhuc, sed contractum in hemisphaerium cœli, totū chaos ambientis, & ab initio super polis mundi versatilis, ita vt primo die simul cum luce celum eiusque motus creari coeperit, versu enim 4 diuisit Deus lucem a tenebris, quod non nisi collectione luminis in vnā partem cœli, eiusque circumductione in paradiso, diem & noctem præstare poterat, quia igitur dies noctem sequitur, necdum creatio lucis primum in illam medietatem, quæ erat sub horizonte paradisi, vbi intensior & collectior facta, motu in occasum facto, ab orientali paradisi parte supra eius horizontem ascendit & diem fecit. Quarto autem die collectio substantiæ solis & lunæ & stellarum demum perfecta fuit. Moses enim tempus absolutorum operum describit, quod à perpetua voluntate Dei dependet & definitur. Debit tamen sol, quem cor mundi esse dixi duodecimo cap. ante omnia creari, vt in animalibus, proinde cum prima lucis creatione inchoatus est. Sol autem lucidissimam substantiam nactus dominium diei obtinuit, luna noctis, vt quæ non suo lumine noctem illustrat, sed solis, habet tamen etiam proprium lumen, sed exiguum, etiam in vniuersali eius eclypsi, aëre claro, adhuc apparet eius circulus, sed luce admodum tenui, stellæ autem & reliqua astra intensius lumen habere videntur, sed longè infra solem. Illud obseruandū est quod luminaria collocata ait in expansione cœli, & v. 7. expansionem vocauit cœlum, vnde colligitur chaos multo minus creatum esse, quam nunc sit mundus, & ex APHAR ac veluti luteo abyssu chæi, eductam & extenuatam materiam fursum latam esse, & paulatim vt longius à centro recessit, subtiliorē & nobiliorem factam & expansionem, crassiora elementa circumdedit, ita cœlum empyreum subtilissimū & nobilissimum factum est, vt pote thronus Dei & habitaculum beatorum, sub illo primum mobile cœlum paulo crassius & ignobilius, sub illo reliqui cœli & planetæ, quanto terræ viciniore, tanto densioris ignobiliorisque substantiæ, minus expansæ, ita vt crassissimum sit lunæ cœlum, & conditione elementis proximum. Hæc expansio facit superiora leuiora, & segregatio à crassiore nobiliora. Porro lucida materia quæ astrorum & luminarium substantiæ parabatur, non extensa sed contracta fuit, vt tanto fortius lucentes & conspicua fierent, ita sit vt astra densioris sint substantiæ quam reliquum cœli, æquè tamen leuis, quod igneæ, & densioris quidem, quo fortior & potentior sit lux & radiorum ab alijs astris proiectionum reflexio, quæ noctem illustrat, præcipuè à luna reflexa, solis autem directæ lux diem à nocte diuidit. Præter hæc duorū luminarium officia additur, vt sint in signa & tempora & dies & annos. Hic astronomi per signa intelligunt certos syderū aspectus, per quos futura designantur, ac toto errant cœlo, longe maius est cuius causā hæc luminaria sunt condita, quā varia astrologorum vaticinia, nimirū vt homines quos Deus in suo edificio collocauit, omnipotentiam & bonitatem creatoris sui cognoscere discerent, quod Dauid Psal. 18. v. 1. luculenter indicat, dicens: Cœli enarrant gloriam Dei, & hæc (quæ cum admiratione spectantur) opera manuum eius esse annunciat firmamentum. Et Paulus ad Rom. 31. v. 18. in eandem sententiam de gentibus loquens: Quod, inquit, de Deo cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit. Siquidem quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruiidentur, ipsaque æterna eius potentia & diuinitas. Sunt ergo luminaria duo hæc præcipuè in cœlo constituta, vt per hæc Dei opera, omnipotentia, maiestas, & diuinitas creatoris, hominibus innotescerent, non vt vanitati astrologorum seruiant. Sunt præterea data ad designationem temporum, quando illa sunt mutanda, sic finem temporum, & mundi iudicium, indicabunt, cum obscurabuntur ac dissoluentur. Sic tempore passionis Christi, cum tempus legis mutandum esset, admirandam solis eclypsim Dionysius Areopagita vidit. Et Iosue admirandam Dei manum sensit per solem, Iosue cap. 10. v. 13. Sunt item posita vt dies & annos definiant, eorum inquam illuminant terram etiam, stellæ quæ nocte cœlum ornant, & solis annum ambitum suo positu monstrant. Finis quarti dici.

FABRICÆ MVNDI Caput 15.

Secundo gradu rerum creato, iam de tertio agitur, de ijs quæ sunt, vegetantur & mouentur, & primum de ijs quæ ex aquis, quæ minus solidæ sunt substantiæ, facilius crescunt, & minus diuturnæ sunt vitæ, quæ in multas species diuiduntur, & singulæ suæ speciei semen intra se generant, ex quo maturo & proiecto, eadem species nascitur, cuiuslibet autem speciei indiuidua, eosdem semper characteres habent, adeo vt idem semper sit numerus & figura ossium, idem color, eadem forma corporis & reliquorum membrorum, eadem vis & natura & sapor, quemadmodum & in herbis & plantis: diuersæ autem species, diuersos habent characterismos, in figura vel aliquo accidente differentes, cuius differentiæ si causam colligere possis, propriam cuiusque speciei, naturam propius contemplaberis; propria enim cuiusque speciei natura differentiam characterismi efficit, & hac illam sequitur, vt ex effectu causam, & ex causa naturam colligere liceat. In volatiliū contemplatione eadem occurrunt consideranda: quia autem auium est solidior substantia, & per consequens viuacior, posterius etiam hoc die earum opus completum est, licet simul formari cœperint, aquis in maria collectis, parata enim cuiusque materia, continuo progressa est creatio, nec cessauit donec perficerentur omnia, & sabbatum ab omni creationis opere adesset, nulla enim causa subest, cur parata materia, creatio rerum suspenderetur, æque multa atque vnum creat Deus, & ordo naturalis rerum creandarum eleganter obseruatur. Astra etiam quæ propius ad vitam conferebant, iam præcedente quarto die perfecta fuerunt, vt operam suam iam validius conferre potuerint, quam cum herbæ crearentur: sic natura rerū creatarum, mox vt parata fuit, suum officium exequi cœpit, & simul omnibus cooperantibus fabrica mundi processit. O admirabilem sapientiam, quæ tot diuersissimarum rerum ordini, naturæ, ornatui, perfectioni & viribus condendis suffecit, sine studio & ratiocinatione: Dixit enim & facta sunt. Proderit hic singularum specierum anatomiam facere, vt in quibus characterismi singulorum differant, cognoscatur, & quo pacto, & quot stationibus in speciem mutetur alimentum, qua statione sanguis creetur in piscibus. Inuenies etiam in piscibus mirabili prouidentia Dei, vesiculam plenam incluso aëre, quæ cum pisce incrementum suscipit, cuius officium est, quacunque parte aquæ pendulum sustinere, ne ad fundum corporis grauitate mergatur. Inuenies etiam in foemellis oua multa, quæ attritione ad scopulos facta, aut alioqui naturali vi effusa, speciem multiplicat, & quemadmodum semen plantæ extra matrem (cum in se virtutem specificam habeat) proiectum, in suo elemento, terra aut aqua, eandem speciem profert; ita & hæc oua piscium in aquam proiecta, vitam suscipiunt, & eandem speciem ac characterismum matris exhibent. Aues etiam singularum specierum secare, & internas partes ac munia singulorum perspicere nõ erit inutile, vt causæ characterismorum, & naturæ propriæ origo rectius cognoscatur. In quibus singula oua vicissim procreantur, & testæ durioris crusta (ne vis specifica facilius exhalet) excluduntur, quæ etiam à matre separata suam vim specificam seruant, & foeta calore matris, aut etiam hypocautis, vt in Aegypto vsitatum est spacio sex hebdomadarum aut mensis, suæ speciei aues producant. Porro maris & foemellæ, sicut cætera animalia, congressu concipiuntur. Potissimum autem hic attendendum est ad differentiam piscium & auium, quod licet vno eodemque die perfecta fuerint, non tamen ex eadem materia consent, sed quia volatilia similia sunt terrestribus animalibus, vt ex sanguine & tota corporis constitutione manifestum est, plus terræ substantiæ quam pisces habent, vt ex lutosa aqua nata videantur, & pisces ex puriore aqua. Sunt igitur volucra media ordine inter terrestria animalia & pisces, propiora naturæ terrestrium animalium quam piscium, proinde serius hoc die perfecta. Vnum autem in omnibus animalibus obseruatu dignissimum est, quod figuram hominis aliquo modo imitantur, quasi tota natura ad hominis formationem tendente, & in homine demum omnibus numeris perfecta. Caput enim licet longius sit, omnibus ad sensum & motum instrumentis similibus quodam modo dotatum est, cranij ossa similia, spina dorso spinæ hominis vtcunque respondet, & costæ costis, formatæque sunt omnia membra pro natura & operatione cuiusque. Finis quinti diei.

FABRICÆ MVNDI

Caput decimumsextum.

De animalium terrestrium creatione.

SEXTVS DIES INCIPIT.

Tertij gradus duo genera vidimus, pisces & aues, sequitur nunc tertium genus, animalia terrestria, quæ quo tardius creata sunt, eo similia sunt homini quo ad sensum & motum: in ratione autem homo omnia in vniuersum superat, vt quæ nihil huiusmodi habent. Sunt autem animalia terrestria, alia alijs homini similia, vt de Elephantis scribunt, docile illud animal esse, & ad intellectum quodam modo accedere. Quid de Simia dicemus? quæ actiones humanas imitatur ludibunda, irascitur, ridet, applaudit, cogitabunda olfacit, versando inspicit, quasi deliberans si esui conueniat, nuces dentibus confringit velut homo, & interim

d 3

dum

dum sua agit, cir cumspicit quid astantes moliantur, caput, pedes, & manus similes admodum humanis habet, & per omnia plurimum inter animalia characterismos imitatur hominis; huius ratione consultum est illius anathomiam diligentissime perspicere, & examinare quantum interior dispositio, & in quibus ab hominis interioribus differat, quo animales virtutes, ex interiorum characterismo, innotescant. Existimo enim illas ab hoc dependere, aut speciatim à natura inditas, per hunc tanquam idoneum instrumentum in opus excitari, quod tamen ambiguum videtur. Apparet enim vnumquodq; in se suæ naturæ principium quoddam habere, quod tamen cum intereunte interit, ita ut causa cuiusque naturæ ipsi rei concreata sit, & non aliunde insit. Facienda est autem cuiusque speciei anatomia, quò omnium inter se animalium differentia interna perspiciatur, & differentiarum virtutum animalium ex diuersitate characterismorum innotescant: sic inuenies quibus de causis virtutes animales excellentiores sint in volatilibus quam in piscibus, in terrestribus animalibus quam in volatilibus, in homine quam in terrestribus animalibus, & deprehendes elegantissimum ordinem à minus solidis ad solidiora, ab imperfectiore ad perfectiora, à minus viuacibus ad viuaciora, à temporarijs ad æterna. Vescuntur omnia animalia è terra natis, vnumquodque quod suæ naturæ conuenientius est, cuius naturaliter delectum habet, & hoc scire est utile. Et si enim natura cuiusque, alimentum in suam speciem mutat, aliquid tamen virtutis inest herbis & fructibus, quod autem ad suam naturam utcunque flectit & immutat, præcipue ubi est affinitas naturarum, & digestio facilis, quinetiam venena immutant, sed vi contrariæ naturæ, & corrumpunt. Aues etiam piscibus vescuntur tanquam cognatione affinitatis, & vnumquodq; suæ naturæ propinquiore gaudet, eadem specie excepta, quæ à singulis animalibus colitur, præterquam ab homine suæ originis oblito. Habent venenosa animalia, præterquam quod naturam alicubi vtilem possident, hoc commodi, quod passim venena ad se trahunt, ipsæque aluntur, ipsa autem ab alijs absumentur sine noxa, ita natura animalium incolumitati prouidit. Vna autem hic relinquitur quaestio soluenda: vtrum ea quæ nunc est, animalium natura & conditio futura fuerit, si homo non peccasset? Moritura haud dubie erant absoluto vitæ periodo, & sibi mutuo in cibum futura, alioqui multiplicationem illorum mundus non potuisset capere, & quorsum immortalia fuissent, cum tantum seruitio hominis destinata essent, cum tot individua multiplicata nulli vsui erant futura? hominem autem reuerita fuissent ei que obedientia, Gen. enim 1. cap. v. 28. 29. 30. constituit Deus Adamum dominum omnium quæ sub cœlo sunt. Et Gen. 2. v. 21. fecit Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, quas mortua animalia procul dubio dederant, cessauerat enim Deus iam antea creare.

FABRICÆ MVNDI

Caput decimumseptimum.

De hominis creatione, & prima ac principali creationis intentione.

Quartus gradus creandorum & perfectissimus, est homo, in cuius vsum & seruitium hætenus omnia creata sunt, & quemadmodum illa omnia inter se ordinem & harmoniam ad mutuam opem habent, ita & hæc simul omnia ad hominem certam in natura, qualitatibus & operationibus conformitatem & harmoniam habent, & propterea homo microcosmus à græcis appellatur. Est autem hæc conformitas & harmonia, quantum ad animal hominis attinet. Porro nobilius quiddam multò in homine est, quod omnium creaturarum dignitatem excedit, nimirum anima rationalis, secundum quam ad similitudinem & imaginem Dei conditus est, & quia homo secundum substantiam est animal rationale, & benedictionem accepit ut crescat & multiplicetur, generatione videlicet suæ speciei: non est dubium, quin ex ea benedictione, etiam generandi animam rationalem, potentiam acceperit, quæ præcipua est speciei pars, quam in singulis hominibus de nouo creari minime conuenit, cum 7. die Deus ab omni creationis opere cessauerit, & sabbatum egerit. Et sunt in hoc inferiore mundo adhuc reliquæ eius materiæ, ex qua cœlestia & supercœlestia creata sunt, ut sit superioris mundi ad inferiorem naturalis inclinatio & sympathia, & inferioris ad superiorem respectus & desiderium, hinc enim & superiorum ad inferiora procliuitas & cooperatio dependet. Nobilissimum autem quod in superiore est mundo, est cœlum empyreum, siue aquæ supercœlestes, ex quo creatos ostendi angelos, ut etiam ex huius in hoc inferiori mundo reliquijs, generari possit anima rationalis; & quid nō possit, cum ex multo crassiore & ignobiliore materia terræ aurum, quod est incorruptibile generetur. Aeterna igitur & immortalis anima multò magis ex supercœlestium aquarum reliquijs generari potest, ut sit similis angelis, & benedictio ac mandatum Dei ad generandum, ac multiplicandam speciem, potentiam generandi animam ex talibus reliquijs dedit. Iam vide quæ dona spiritus sancti siue Dei, sint in hac anima: sunt intellectus, ratio, iudicium, memoria, amor verè boni, iustitia, gaudium in spiritu sancto, libera electio voluntatis, & si quæ sunt alia. In his enim similitudinem Dei habet, & imaginem in immortali animæ rationalis substantia. Creatus autem est homo hoc ordine & modo. Primum ex A P H A R siue lutro figuram humanam plasmauit, in qua haud dubie ea viscera quæ primum in generatione fiunt, ut cor, deinde epar, & quæ immediatè à corde pendent, formari cœperunt, quibus formatis inspirauit,

inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ. Per os & nares viuentia omnia spiritum attrahunt, quo cor accenditur vita & motu, ita per nares & os flant spiritum, in quo haud dubiè erat ex reliquijs aquarum supercoelestium, aut prius in corporis compage aliquid earum conceptum erat, ex quo anima rationalis à comitante spiritu sancto tandè formata est, prius tamen per communem aërem vita animalis procurata est, non enim eadem anima rationalis est, & animal viuificans, siquidem diuersa habent munia, & præeunte animalis anima, manet rationalis, & est animalis anima certa harmonia & communis operatio interiorum viscerum, ad vitam animalis conspirans, rationalis autem imago diuinæ essentiae. Quod autem animalia vitam sunt nacta, simili aëris statu operante spiritu Dei haud dubiè factum est, tamen id non dicatur, in similibus enim similiter Deum operatū esse facile intelligitur. Dona quæ anima rationalis secum attulit, necessaria erant in homine, si imago Dei esse debebat, ut opera Dei contemplaretur, & creatorem suum agnosceret, veneretur & coleret, cognitio enim Dei requirebatur ad scopi creationis hominis, quæ enim beatitudo ei apud Deum fuisset sine eius cognitione? Cum ergo summam Dei potentiam & bonitatem cognosceret, & suis illi esset contemplatio & familiaritas Dei, voluit Deus in illo experiri, an qui maximis donis ab illo ditatus erat, quibus Deo obsequi poterat, Deum creatorem suū agnosceret ac reuereretur: voluntariam enim & spontaneam obedientiam & dilectionem requirebat tam beneficis pater, quæ colendus esset, & gratum ille Deo obsequium fecisset: facillimum illi præceptum imposuit, ne ex vna arbo re, ubi tam multæ erant optimorum aspectu & sapore fructuum ederet, ab ea sola abstineret, & credibile est illum Deo aliquandiu obsequutum esse, non enim vna hora tantum, ut sentiunt quidā, aut diebus aut hebdomadis aliquot in paradiso permansit. Quin potius verisimillimum est aliquot annis in eo Dei voluntate permansisse, ut sentit Georgius Cedrenus, quo opera Dei adminiculo Spiritus sancti & contemplatione diuturniore firmiter edoctus, illa posteris suis enarrare posset. Cum igitur longissimæ tum essent vitæ homines, vera Dei doctrina paucorum traditione, nimirum triū, Adam Mathusalem, Noe, ad Abraham peruenit, cuius deinde sacro cum Deo fœdere, facile ad Mosē usque in posteris Iacob reseruata est. Verum sub eius ortum nimium inualecente idololatria, voluit Deus per Mosē primorum operum suorum descriptione, homines ad vnius Dei agnitionem & cultum reducere. Genesim igitur mundi, quam ille partim ex traditione, partim ex reuelatione Spiritus sancti descripsit, hic contemplari est propositum, quo veram & integram totius orbis descriptionem, quam indagamus, assequamur. Fuit illi proculdubio frequentius cum Deo colloquiū, in quo de creatione mundi, de natura rerū, de Dei proposito, & alijs, quæ homini scitu erant necessaria, eruditus fuit, adduxit illi Deus animalia, ut singula perspiceret & nomina imponeret iuxta naturam eorum, quæ tam exiguo temporis spacio fieri non poterant. Author est Georgius Cedrenus in compendio historiarum, antiquos quosdam sentire, quod Adam septimo demum anno peccarit, & paradiso eiectus fuit, & efficacibus rationibus id probabile esse ostendit.

FABRICÆ MVNDI Caput 18.

De lapsu Adami.

Interea dum paradysum habitaret Adam, familiarior Deo factus, forte non satis grauitè præceptum Dei ponderans, satanæ aures arrexit, & diu patienter audiuit, qui inimicus factus Deo, quod iusto eius iudicio cælo eiectus esset, homini insidiatus est, persuasit ei mandatum Dei in alium finem, quem ipse à Deo non audisset, datum esse, quum tamen sciret Deum creatorem suum veracem & iustum esse, nec frustra mandatum dedisse, serpentem vero mendacem, & iuste cælo eiectum esse. Non enim dubium est, quin multam cum Deo in paradiso conuersationem & varia colloquia habuerit, in quibus de creatione & scopo rerum omnium & natura edoctus fuit, potentiam etiam Dei ex tam sapienti creatione, & recto serpentis iudicio agnouit, ut merito serpentem non audire debuerit: fecit insipienter, in hoc tamen contra Deum non peccauit, quia Deus hoc non prohibuerat. Etenim faciebat ad maiorem Dei gloriam, si Adam tentatus non peccasset, tum enim certum testimonium homo exhibuisset de se bene creato, ut erant omnia valde bona Gen. 1. v. 31. Poterat serpentis sermonem interrompere, eumque abijcere, & non peccasset. Initium quidem ad peccandum, non tamen peccatum fuit, quod satanæ aures præbuit, Deus enim hoc non prohibuerat, & adhuc potestatem contradicendi obtinebat, sed diutior patientia & familiaritas consensum peperit, & continuo peccauit transgrediendo mandatum, quo offensus Spiritus sanctus, illum suis donis quæ in creatione acceperat, & à spiritu donec non peccaret, sustentabantur, reliquit, Deo euentum spectante, at non approbante, quia prohibuerat, Adamo vero de sua constantia experimentum faciente. De hoc lapsu verissimè & planissimè scribit Ecclesiasticus cap. 15. v. 16. Deus hominem creauit ab initio, eumque arbitrio consilij sui permisit, si volueris mandata seruabis, optimæque voluntatis fidem præstabis. Ignem & aquam tibi proposuit, ad vtrum voles manum tuam porrigere, vita simul & mors proposita sunt homini, & vtrum cunque placuerit dabitur illi. Porro cum eum peccaturum Deus præsciret, cur non talem creauit, qui labi non posset? Deus omnia bene & paternè fecit, gratia erat, quod tam insignibus animi dotibus ornatus fuit, ut facile tam leui mandato obedire posset, & merito homo pro tantis donis suo creatori obediendo gratus esse debebat. Poterat ergo, ut asserit Ecclesiasticus, stare si voluisset, quod autem cecidit, illius est culpa, non prædestinantis aut volentis Dei. Deus enim omnia valde bona creauerat, & paternè disposuerat. Cum ergo peccauit, Spiritu sancto, qui antea illi familiariter cohabitabat, à quo vitam habebat non interituram si, non peccasset, priuatus est, qui

qui illum in vita sancta, gratia & favore Dei sustinuerat, derelictus ergo familiari Spiritus sancti praesentia, nihil in se sensit quam affectiones carnis, à qua pertractus eius animus, ut ex Paulo liquet Rom. 7. v. 15 & sequentibus vsq; ad 24. factus est enim & ipse carnalis, hoc est concupiscentijs carnis addictus, ut in eadem constitutus hypostasi. Dicit enim aliam esse legem siue necessitatem in carne quàm in animo, & eam animum captivum in servitutem trahere. Porro quod captivum sit, non est sui iuris, sed alterius potestati subijcitur. Indicat igitur animum principio non fuisse carnalem, sed talem evasisse, cum captivus fieret carni. Hanc peccati originalis originem planè necessarium est scire & observare, ne animus ab initio carnalem creatum esse, aut fragilem & impotentem malis resistendi, hoc enim creatoris impotentiam argueret, ut qui ad conceptum scopum, hominem idoneum creare non posset, & eius potestatem violaret. Iam quæ calamitates homini ex hoc peccato ortæ sint, disce ex loco Pauli allegato capit. 7. Si enim tantum potuit caro in tot donis ornatum animum, & à Spiritu sancto custoditum, quid non posset in eundem iam sibi captivum factum, & à Spiritu familiaritate desertum? Audi quid Apostolus Rom. 3. v. 12. de omnibus tam Iudæis quam gentibus dicat. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est vsq; ad unum. De natura humana loquitur sola, sed quando in Christo est, & à Spiritu sancto adiuuatur homo, non est talis, naturalia dona animi, intellectus, ratio, iudicium, memoria, &c. dona non sufficiunt, nisi adsit Spiritus, horum sustentator & gubernator. Est autem carnis concupiscentia, non tantum privatio iustitiæ, sed vera inclinatio ad ea quæ carni placent, proinde cum animus eiusdem inclinationis sit consors, nō solum privatio iustitiæ, sed habet positivum malum, nimirum perpetuam inclinationem ad carnis placitum, unde omnia peccata oriuntur, & propterea dicitur illa inclinatio peccatum originale. Quod si privatio tantum iustitiæ esset, non habuisset Paulus occasionem exclamandi. Miser ego homo quis me eripiet ex corpore mortis huius. Rom. 7. Renatus enim animo iam creptus erat. Atqui etiam in renatis adhuc hæret peccatum originale, hoc argumentum est, peccatum originale plus esse quam privationem & malum in natura hærens, quod per generationem propagatur. In peccatis, inquit Psalmista, concepit me mater mea. Prævidens autem Deus, hoc peccatum in homine oriturum, dixit. Quacunque die ex ligno scientiæ boni & mali ederis, moriendo morieris, morte enim corporis hoc peccatum delendum erat. Itaq; omnibus semel mori lex est, quo quod præter creationem est deleatur in salvandis. De paradiso, ubi fuerit, & quæ eius flumina, in veteri geographia restituta demonstrabo. Homines extra paradisum creati in illum translati fuerunt.

FABRICÆ MVNDI Caput 19.

De secunda & subalterna creatoris intentione in creando homine.

Quia peccaturum Deus hominem prævidit, ne frustra esset tam sapiens rerum omnium creatio & ad destinatum finem scopus, quem Adam peccando violavit, nouo beneficio hominis lapsus resarciuit, viam constituit, quæ à peccato liber, pristinae conditioni restitueretur, & procederet prima creationis intentio, filium suum carnem assumpturum promissit, qui pro peccato Adami, quo omnes a generatione tenebantur, satisfaceret, Deum patrem pacaret, & Spiritus sancti auxilium iterum impetraret, quo promisso & credito eadem qua prius intentione vitam æternam assequeretur. Ex hac præscientia mirabili Deus vsus providentia, ita creationem omnium absoluit, ut in utroque statu, obedientiæ & lapsus, homini ad vitam æternam consequendam servaret, ita ut nihil frustra à Deo fieret, tantum maneret mors carnis, quæ peccato originali debebatur, quo illud tolleretur planè ab homine, & purus totus, ut creatus erat, ad Deum veniret, in finem ad quem conditus erat. Porro quia per peccatum originale omnes tenebantur, ut ostendi præcedente capite, quo minus per donaturationem ad Christum venirent, ordinavit Deus poenitentiam, baptismum & synaxin, præcipua sacramenta, quibus homo coram toto mundo se Christo dederet, & fide eius pro peccatis hominum sacrificiū approbaret & acceptaret, quo contra vim peccati armaretur, hoc solo medio à peccato originalis potestate liberaretur, & contra eius vim, auxilium Spiritus sancti impetraret, durat tamē pugna cum peccato, quod ad vivimus, donec illud per mortem carnis (in qua eius origo pender) aboleatur, ideoq; mors carnis à Deo iniuncta est, propter lapsum Adami, ut peccatum illud, quod præter creationem est, radicitus tolleretur, quo facto saluus est homo, non tamen patet accessus ad Deum patrem, nisi per Christum, Ioh. 3. v. 13. scriptum est. Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis qui descendit de cælo. Via à Christo aperienda erat. Et oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam Luc. 24. v. 26. Ergo ut hoc hic non recte à multis controuersum adijciam, ante incarnationem Christi, nemo piorum patrum in cælum ascendit, sed certo loco in gaudio & felici expectatione servabantur, vsq; ad Christi aduentum. Hunc locum vocabant patres limbum, non inferni, sed paradisi cælestis opinor, in quo Abraham, tanquam pater fidelium nominatissimus erat, in cuius sinum siue congregationem Lazarus post mortem ab angelis deportatus est. Post Christi mortem vero in cælum adducti sunt, secundum eius testimonium. Pater volo ut ubi ego sum, illic & minister meus sit. Proinde ascendit Iesus Christus suo tempore, cum hac præda & captivitate magna in cælum. Peccatum ergo hoc originale & pugna cum illo, durat vsq; ad mortem carnis, sed per fidem in Christum contra illud munimur & servamur auxilio Spiritus sancti, quemadmodum Adam servandus erat, si non peccasset. Propter eius pugnam cum animo hominis exclamat Paulus. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, (quæ ab illo intentatur) Gratias inquit ago Deo meo per Iesum Christum, quem pater salvatorum dedit, & per spiritum suum adiutorem, donec in morte carnis planè aboleatur. FINIS.